This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

OVIDII NASONIS PELIGNENSIS

EROTICA ET AMATORIA OPVSCVLA,

DE AMORIBUS, ARTE ET MOdis amandi, & qua ratione quis amoris compos fieri debeat;

Nuncprimùm ex vetuſtis membranis & MSS. Codicibus deprompta, & in lucem edita, diverſa ab iis, quæ vulgò inter ejus Opera leguntur:

Cum aliis quibuſdam ejuſdem argumenti libellis, qui per fucum in Ovidianas inſcriptiones tranſierunt, quorum Auctores verſa pagina exhibet.



STADTBIBLIOTHEK ZÜ

FRANCOFORTI
Typis Wolffgangi Richteri, ſumptibus verò Petri Kopffii, Anno M. DC. X.

P. OVIDII NASONIS SULMONENSIS Epigrammata Scholaſtica de XII. Libris Æneidos.

EJUSDEM Epigrammata de Æneide, & ad Auguſtum.

EJUSDEM Epiſtola nomine Penelopæ ad Ulyſſem, à Carolo Vtenhovio Juniori Græcè reddita.

OVIDII JUNIORIS Somnus.

CORNELII MAXIMIANI GALLI ETRUSCI Elegiæ.

OFILII SERGIANI Pulex.

ALBI OVIDII JUVENTINI Philomela.

JULII SPERATI Philomela.

PAMPHILI MAURILIANI Pamphilus.

PSEUDO-OVIDII Vetula.

B. BEDÆ VENERABILIS PRESBYTERI Cuculus.

BENIGNI FLORIACENSIS MONACHI Excidium Trojæ.

BERNARDINI CILLÆNII VERONENSIS Elegiæ ad Juliam.

ANTONII CODRI URCEI BONONIENSIS Rithmus Martinalis.

BAPTISTÆ MANTUANI CARMELITÆ Elegia contra Poëtas impudicè loquentes.

Digitized by Google

VE

VENERABILI ET RELIGIOSO PATRI, JOANNI MYNTZENBERGIO, Priori Conventus Francofurdiani Fratrum de monte CARMELO, Domino & Amico meo honorando

S. P. D.

QVanta fuerit ſuperiorũ aliquot ſæculorum non modò ruditas ac barbaries, verum etiam profanitas, ſatis evincunt laſcivi iſti & Venerii libelli,

Lampſacus Ogygii quos nec trieterica Bacchi
Sacra, nec arcanis Phrygius furor invehat antris;

quoſve honeſtioris notæ homines vix ſine frontis perfricatione ad lectionem admittere audeant, quum belli illi Monaſtici Magiſtri etiam verecundæ puerorum ætati in ſcho-

 lis

Digitized by Google

lis ad diſcendum proponere non e-
rubuerunt.

Eò impudentiæ ſacroſancta literatura barbarorum hominum vitio proceſſerat. Ut jam non mirum ſit, cur diſciplina Chriſtiana in Monaſteriis & Collegiis tã corrupta quondam evaſerit, ſed cur non multò corruptior: quia juventus Veneri, non Mariæ; Cupidini, non Jeſu; Bacchi filio, non Davidis; Lampſaceno Jovi, non Bethlehemitico; in Eleuſiniis myſteriis, non Euchariſticis; in Floralibus ludis, non Moralibus, inde vſque à teneris operari conſueverat. At non eſt paſſus Deus nos diutius turbari in tenebris quam cumulus nequitiarum completus fuerat, ſed excitatis honeſtis quà dicendi quà vivendi magiſtris, quos inter multi ex Ordine tuo, Prior Venerande, & in primis Mantuanus ille Vates, quem tu quum magnifacis & æſtimas, magno eius merito te facere ſcilicet, excelluerunt, cum ipſa Religioſorum Cœnobia, tum vel maximè doctri-

nas & literarum ſtudia reformavit ac reſtauravit. Et eſt noſtrum ſæculum tam plenum literatis & eruditis viris, ut ab orbe condito nullum conſtet literatius & eruditius fuiſſe, in quo magis viguerint artes ingenuæ, majusque certamen inter homines fuerit, ne quid profuturum ſæculis diutius lateret.

Ad eam rem præcipuo adjumento fuit veterum Bibliothecarum, barbaris illis temporibus ſitu & ſquallore obſitarum, excuſſio. Unde non ſolum priſcorum præcepta ſophorum accepimus, ſed & honeſta ab impuris, diſerta à barbaris, γνήσια à ſuppoſitivis, vera à falſis diſcrevimus, & veterum Codicum fide, quorum unica & ſingularis eſt hac in parte arbitrii auctoritas, illorum actores in poſſeſſionem reſtitui, horum reos cedere & exſulare juſſimus.

Itaque hercules OVIDIUS NASO à ſordidis, inficetis, inſulſis, bardis & nequam libellis vindicatus eſt. Ad quem auctorem,

Digitized by Google

quicquid uſquam amatorium aut Aphrodiſium occurrebat, ſtatim ab imperitis & Potitianis Monachis referebatur. Tanta fuit ignorandi libido: quin etiam cupido laſciviendi, quò ſub honeſto hoc Ovidii pallio catullientes ephebi, tanquam piſces in hamo, caperentur, & ad libidinoſum nefas illis accenderentur,

——*Quos ſuus in Venerem raptat Deus,*

ut Val. Flaccus canit. Hinc Maximianus, Pamphilus, Vetula, Tres puellæ, & conſimiles librorum quiſquiliæ, quas Ithyphalli iſti Ovidio adſcripſerant, longe fœdioribus commentis grammaticis inquinatæ ſunt, quæ pueris diſcentibus dictaverunt.

Eos nos libellos in lucem retraximus, non quòd dignos cenſeremus, ſed vt ſpeculum proponeremus miſerrimæ ſimul ac turpiſſimæ ſuperiorum temporum diſciplinæ ac inſtitutionis ſcholaſticæ, tum etiam ut ex interdicto caſcorum & indubitatoram

bitatorum Codicum auctoribus ſuis, quos diutius latere non ſiverunt viri docti & de re literaria præclariſſimè meriti, reſtitueremus. Viderunt quidem & ante nos optimi librorum Cenſores & Critici, hos libellos Ovidii præſcriptione eſſe abdicandos, ſed ad quorum nomina referrent, illud membranarum ope deſtituti videre non potuerunt. Ex eo numero primus fuit Henricus Bebelius, publicus olim Tubingæ Profeſſor, & rei literariæ in Germania princeps reſtaurator. Is ergo in libello, *Qui auctores legendi ſint ad eloquentiam comparandam*, de ſcriptis quæ vitanda ſint ab adoleſcentibus, in hæc verba monet: *Cæteros autem verſificatores, Facetum, Floretum, Antigameratum, Phyſiologum, cuius initium eſt;*

Tres Leo naturas——

Item contemptum Mundi, qui ſic incipit;

Cartula noſtra tibi pandet dilecte ſalutes;

Boëtium de Diſciplina ſcholarium, quam-

Digitized by Google

vis non ſit Boëtii, ut alibi dixi: Libellum, qui Vita Scholaſtica inſcribitur: Alanum in Proverbiis, & omnes illos denum, qui ſcripſerunt Carmina Leonina, hoc eſt, ut medium & finis conſonent in ſyllabis, qualis eſt iſte verſus,

Vt bene firmares montibus eſſe pares,

tanquam peſtiferos declinabis. ſic & Pauperem Henricum, propter corruptum dicendi genus & ſordidum, nimiamq́ꝫ novorum verborum licentiam, cum graves alioquin ſententias habeat, & Poëticum (ut videtur) ingenium. Petrus quoque de Riga, cuius liber Aurora inſcribitur: item Proſper Aquitanicus, item Gaufredus in Poëtria nova, & Gualterus quidam, qui vitam Alexandri Magni verſibus conſcripſit: Ludolphusq́ꝫ in ſua Summa, protritæ ſunt corruptæq́ꝫ Orationis: ſicut & Pamphilus quidam, qui licet non invenuſtè de Amore ſcripſerit, vulgaris tamen & inelegans eſt in ſuis carminibus, non ſecus ac libelli de Vetula, de Cuculo, de Tribus puellis, de Ventre & cæteris membris, & de Nummo, qui falsò aſcribuntur OVIDIO (quemadmodum de Pulice & Phi-

Philomela creduntur non eſſe Ovidii) obturata aure, veluti Syrenei ſcopuli ab Ulyſſe *ſunt prænavigandi.* Et in Racemationibus Cap. XV. ſuper eodem argumento idem ſcribit: *Eccleſiaſticos autem, Prudentium, Sedulium, Juvencum, Sidonium, Proſperum, Apollinarem, Aratorem, Petrum de Regia, & ſimiles etſi non inelegantes ſint, non tamen in omnibus imitandos eſſe volo. Multò minus imitabor Gaufredum in Poëtria nova; Gualterum in ſua Alexandreide; Romulum Grammaticum, translatorem Aeſopi; Alanum, Pauperem Henricum, Pamphilum, Soliganium, Antigameratum, Facetum, Bernhardum, & Macrum de Viribus herbarum, qui circumfertur, & ſimiles.*

Bebelium inſecutus Lilius Gregorius Gyraldus de Poëtarum hiſtoria lib. IV. in Ovidio ſcribit: *Quæ ſubiungã, ſuppoſititia ſunt & adulterina, falſoq́ Ovidio aſcripta: De Vetula, in qua de magnis ſiderum coniunctionibus, & de Chriſtiana lege miranda leguntur: item de Pulice, de Philomela, de Medicamine faciei. qua de re licet in Arte ſe ſcripſiſſe*

aſſeveret, id tamen, quod in manibus habetur, Poëma illegitimum & tralatitium ab aliquibus doctis viris putatur.

Petrus Crinitus lib. III. de Poëtis Latinis in Ovidio: *Quædam tamen falsò atque improbè ad eum referuntur, ut Carmen de Vocibus avium, de Pulice, & alia indigna prorſus atque aliena ab ingenio & doctrina tanti Poëtæ.*

Aldus Pius Manutius in vita Ovidii: *Exſtant prætereà multa opuſcula ſub huius Poëtæ nomine, ut de Nuce, de Medicamine faciei ac aurium, de Pulice, de Somno, de Cuculo, de Aurorà, de Philomela, de Limace, de Vetula, de Quatuor humoribus, de Ludo latrunculorum. quæ omnia, præterquam de Nuce & de Medicamine faciei, quæ fortaſſe puer cōpoſuit, ridicula ſunt, nec digna, ut divino Naſonis ingenio, non iuvenis modò virive, ſed ne pueri quidem attribuantur.*

AURORA duobus libris à Petro Rigenſi concinnata, paulò grandior & prolixior eſt, quàm ut libelli hujus forma ad hunc cumulum adjici patiatur. Carmina de TRIBUS PUELLIS, de VENTRE, & de NUM-

NUMMO, ſi quorum auctorum eſſent, aut ex vetuſti alicuius Codicis fide, aut indicio boni viri, aut Grammatici Commentatoris auctoritate conſtaret, & ipſa ut legerentur, haut gravatim conceſſiſſem. Unicum de LIMACE poëma nondum in manus meas pervenit, & alterum de FORTUNA, quod ab Auctore Vitæ Philoſophorum ei adſcribitur. Atq; hæc quidem in genere de Pſeudo Ovidianis Carminibus dicta ſunto. Nunc, ut invidia Lectoris ingratiſſimo hoc cumulo ſatiari & expleri poſſit, ſingula ordine conſideremus.

P. OVIDIUS NASO Sulmonenſis.

Quamvis Epigrammata de *Duodecim libris Aeneidos* non ſint amatoria, tamen ne nihil, quod Ovidii eſſe certò conſtaret, non daremus, vel hæc præponere viſum eſt. Quorum primum ex Bibliotheca mea nunc primitùs prodit; alterum exſtat in Catalectis Virgilianis, ſimiliter &

Digitized by Google

tertium, quod primo loco poſitum oportuit; cuius exordium modò cum primi argumento libri hactenus inter Ovidiana editur. Ego Ovidii eſſe nullus dubito, ſed admodũ pueri, & in ludo literario ab eo declamata. Indicio ſunt vibrantes ſententiolæ, quas in pueris Petronius ridet, & puerilitas plus q̃ μειρακιώδης, quâ, quia plauſum ingenii ſui noverat, auſus eſt ſecundas ſibi à Virgilio arrogare. Sũt in Catalectis quatuor Erotica Ovidii Epigrãmata in Priapum luſa, quæ in eius operibus non leguntur: ſed adjicere vetuit pudor. Penelopę ad Ulyſſem elegiam Gręco carmine ab Utenhovio redditã, qui ad antiquum ſcriptorem referre voluerunt, nunc me monitore errorem ſuum emendent. Phyllidis ad Demophoontem hoc tantum triſtichon in meo codice ſuperabat.

OVIDIUS JUNIOR.

Hanc Elegiam de SOMNO veteres codices conſtantiſſimè Ovidio adſcribunt; nec diffitentur

Ovidiani editores. Princeps Manutius ab Ovidio profectam eſſe negavit, me nō diſſentiēte. Quis enim in Ovidio probet diverſa ingenia? Neque tamen temerè à veterrimorum librorum auctoritate recedendum puto. Igitur ſi vetuſtas non difficulter à nobis impetravit, ut crederemus; plures fuiſſe Virgilios, plures Catullos, plures Propertios, plures Varrones, plures Cicerones, plures Plinios, plures id genus alios, cur nō idem de Ovidiis ſentiamus, occidit cauſſa. Eſt autem hęc elegia non inelegans, & ferè cum illa de NUCE conſpirat; vt qui ab eodem auctore ſcriptam eſſe putet, forſitan non erraverit.

CORNELIUS MAXIMIANUS Gallus Etruſcus.

Ita novus quidam Criticus hunc auctorem proſcribendum edixit. Nam CORNELII GALLI nomen in nullo veterum codicum, quos ego quinque poſſideo, comparet: in quibus hæc fermè inſcriptio:

Face-

Digitized by Google

Facetum & periucundum poëma de Amoribus Maximiani, Poëtæ doctiſſimi, Oratoris ſuaviſſimi. Cui congruit editio Pariſienſis omnium prima, in cujus frontiſpicio ſcriptum eſt: *Periucundus, iuvenum quoque mirum in modum demulcens animos, libellus, quem Nugarum Maximiani immitis Alexander intitulat: impreſſus Pariſiis, opera exactiſſimaque diligentia Stephani* Jehannot, *& Petri le Dru, Artium Magiſtrorum,* &c. Princeps Pomponius Gauricus Neapolitanus CORNELII GALLI nomē haut ſcio unde exſculpſit, & ſub nomine CN. CORNELII ASINII GALLI FOROJULIENSIS publicavit, imperitiùs dicam, an audaciùs, incertum. Rationes, cur ita eſſe cenſuerit, has affert, quas ipſius verbis ſubſcribam; *Eius ſcripta* (inquit) *penitus interciderunt, præter hunc libellum, quem paulò ante mortem in Aegypto viſus eſt perſcripſiſſe. Nam quum ibi Græcam quandam puellam adamaſſet, nec propter ingraveſcentem iam ætatem eius libidini ſatisfacere potuiſſet, materia ſatis opportunè ob-*

lata

lata eſt, ut ſenectutis incommoda deſcribens, iuveniles ſuos amores recenſeret: ſeque ſuis carminibus multò meliùs, quàm in numo ſpectandum effingeret. Nam quòd fuerit Etruſcus, quòd Orator, quòd Poëta, quòd etiam vinolentus, quòd Lycorida adamarit, quòd Legatus Aegypto præfuerit, hinc manifeſtiſſimè colligitur. Quæ ſi quis diligenter animadvertat, fatebitur, hunc libellum Cornelii Galli, non alterius fuiſſe, ut quidam parum prudenter exiſtimarunt. Hæc ille in Cornelii Galli Vita, quam libello huic præfixit. Et iterum in Elegiaco, quod ſubinde ſequitur:

Et quamvis tua ſcripta olim, divine Poëta,
Ac verſus tulerint ſæcula lõga tuos;
Orbe quidem toto vivet tua, Galle, Lycoris;
Vivet & ingeniũ, Galle Poëta, tuũ.

Et in calce libelli Joannes Baptiſta Rhamnuſius ſubiungit: *Lector, quòd has Corn. Galli Poëtæ relliquias legeris, Pomponio Gaurico, adoleſcenti optimo, gratias habeto.* Ubi & eiuſdem Rhamnuſii epigrãma adſcriptũ eſt, tale;

Digitized by Google

Si quis ſenſus ineſt, ſi qua eſt mens ulla ſepultis,
Pomponi pietas hæc tua grata ſatis.
Qui ſparſos cineres proprio componis acervo,
Qui titulum proprio reſtituis tumulo.
Ipſe tuo tandẽ Gallus nũc munere gaudet,
Spe penitus dextra non cecidiſſe ſua.

Sed fucum hunc Italicum, quẽ nobis Gauricus iſte fecerat, iam olim viri docti detexerunt, Dominicus Marius in Enarration. in Ovidii Amorum lib. 2. eleg. 15. circa fin. Petrus Pithœus in Epigrammatum & Poëmatum veterum Collectione, pag. 546. Yvo Villiomarus, ſive is Joſephus Scaliger fuit, Animadverſion. in Loc. controverſ. Titii, lib. I. cap. XV. alii, quos cõmemorat ipſe Robertus Titius Aſſertion. lib. I. c. XV. cujus verba, licet prolixiora, nõ pigrabor integra apponere. *Contendis præterea*, infit, *auctorem Elegiæ, Miſſus ad Eoas, non eſſe Cornelium Gallũ, ſed MAXIMIANUM quendam barbarum & ignobilem poëtam, deq; hac obſervatione adeo tibi places, ut alibi etiam*

Digitized by Google

eam iteraveris, videlicet ne ſilentio periret. quaſi verò Lilius Gregorius Gyraldus multò antè non detexerit fraudem impoſtorum, qui Elegias illas Cornelio Gallo tribuerint, cùm Maximianum quendam auctorem cognoſcant; illum (inquam) Maximianum, cujus & inſignis Grammaticæ nugator Alexander nugas irridet; idem etiam antea fecerat Ianus Parrhaſius; idem poſtea fecit Franciſcus Floridus, atq; adeò Martinus del Ryo in Commentariis ad Senecæ Hippolytum; nec non item Ianus Douſa in Præcidaneis ad Petronium: Theodorus etiam Pulmannus de hac re nos admonuit epiſtola ad Lectorem, quæ illis Elegiis præfigitur in codicibus Lugduni impreſſis ab Antonio Gryphio, anno ſalutis 1573. in quibus Codicibus ita legas: [Maximiani liber, qui falsò hactenus ſub nomine Cn. Cornelij Galli editus eſt.] Et in margine ita: [Veteris libri inſcriptio, MAXIMIANI LIBER: vide Gyraldi dialogum quartum de Poëtis Latinis.] Sed hoc garrulitati atq; oſtentationi tuæ facilè condono; illud certè diſſimulare non debeo, quòd de Petro Crinito plus quàm mendaciſſimè pronun-

Digitized by Google

ciaſti. [Sed Crinitus tuus (inquis) de Maximiano Cornelium Gallum fecit, ideo non dubium eſt, eum eſſe Cornelium Gallum.] An vir ille eruditus adeò iudicio non valuit, ut ex parum eleganti locutionis forma, ſententiarumq́; frigiditate, abſque ullo veteris exemplaris auxilio, quod nactus deinde fuit Gyraldus, non intelligeret, alium omninò auctorem fuiſſe illarum Elegiarum, quàm qui vulgò crederetur? minimè verò; ſunt enim hæc ipſius verba, ut norunt omnes. [Leguntur ætate noſtra Elegiarum libri ſub nomine Cornelii Galli. qua in re facile eſt imponere imperitis hominibus. qui autem paulo diligentius antiquitatem obſervarunt, nihil minus cenſebunt, quàm ut hæc referenda ſint ad Poëtam Gallum.] An verba hæc illius eſſe tibi videntur, qui de Maximiano Cornelium Gallum fecerit? At dices, cur ergo Cornelium Gallum nominaſti, non Maximianum potius, ſi rem totam probè tenebas? Dicam: Primùm, Maximianus ille, cuius verum nomen legitur in inſcriptione illarum Elegiarum ex fide manu deſcriptorum Codicum, CORNELIVS GALLVS MAXI-

Digitized by Google

MIA-

MIANVS vocabatur. iam qui Cornelius Gallus Maximianus vocatur, poteſt etiam Cornelius Gallus rectè nuncupari; ac, donec Aſinium non addidero, minimè peccaſſe videri debeo. Hucuſq; Titius.

Quod ad Scaligerum attinet, deceptus ille fuit vulgatâ Corn. Galli vitâ, à Pomponio Gaurico, quem dixi, compoſitâ, quæ in pleriſq; veteribus editionibus, non adſcripto auctoris nomine legitur, uti nec Criniti nomen ſemper adjectum legas in cæterorum Poëtarum liminibus.

Porrò; ut ad ipſum tandem Gauricum redeamus: is, quò fucũ ſuum occuleret fictiùs, & celaret, non dubitavit crimen crimine cumulare, & falſum inſuper in radendo committere. Nam in Eleg. IV. totum illud diſtichon per fraudem deleverat:

Atq; aliquis, cui cæca foret bene nota voluntas,
Cantat cantantem, Maximianus amat,

quod etiam in Germanicis exemplaribus, Argẽtinenſi & Baſileenſi,

ad Italicum expreſſis, hodieque deſideratur. Deinde quum Aſinius Gallus fuerit gente Forojulienſis; harum autem Elegiarum auctor Etruſcus, nec veriſimile loquitur, nec verum Pomponius, ut Forumjulii in Etruriam migrarit. Argumentum à Lycoride ſumptum, puerilius eſt, quàm ut confutatione mea indigeat. Multò autem ineptiùs illud, Eleg. V.

Miſſus ad Eoas Legati munere functus,

interpretatur, ad Ægyptum regendam. Legis, mi Prior, & riſum tenes? Ac ſi verò nulla in Oriente regio, præter Ægyptum, fuerit. Quid ergo eſt? inquis. MAXIMIANUS ETRUSCUS VIR INLUSTRIS vixit ſub Anaſtaſio Imperatore, & Theodorico Rege Romanorum, à quo ad ipſum Imperatorē ad Eoas partes, id eſt, Conſtantinopolim in Orientali Imperio, pro pace firmāda miſſus fuit. Etenim *Legatus* hoc loco non eſt, qui Proconſulibus in provinciam proficiſcentibus, Vica-

ria poteſtate adjungebatur, ſed is, quem Leges & Hiſtorici noſtri *Miſſum* appellant. Eam legationem innuit exſertim, & exprimit Maximianus hiſce verſibus:

Miſſus ad Eoos Legati munere functus,
Trãquillũ cũctis nectere pacis opus;
Dum ſtudeo geminæ componere fœdera pacis.
Inveni cordis bella nefanda mei, &c.

Ecce, *geminæ*, ait; id eſt, utriuſq; Imperii, Orientalis & Occidentalis. Namq; Anaſtaſius in Oriẽte, Theodoricus, is, quem vulgus noſtrate Veronenſem vocat, in Occidente, pariter imperabant. Et aut vehemẽter animi fallor, aut hæc ea ipſa, qua Maximianus functus eſt. Legatio fuit, cujus Diploma exſtat apud Caſſiodorum Var. Epiſt. lib. I. epiſt. I. In illa ergo Legatione, dum Conſtantinopoli moraretur, contigit, quod ſequitur:

Hic me ſuſcipiẽs Etruſcæ gẽtis alumnũ,
Involvit patriis Graia puella dolis.

Digitized by Google

Nam cùm ſe noſtro captam ſimularet amore,
Me potius vero fecit amore capi.
Pervigil ad noſtras adſtabat manè feneſtras,
Neſcio quid Græco murmure dulce canens,&c.

In quanta autem dignatione publica fuerit, non obſcurè colligas ex Caſſiodori Variar.lib.I. epiſt. XXI. ubi ei ratiocinia fabricarum Urbis Romæ, & operarum publicarum à Rege commendantur. Inſcriptio in hunc modum habet: THEODORICUS REX MAXIMIANO V. ILL. ET ANDREÆ V. SENATORI. Anitio Manlio Boëtio Severino, Viro Conſulari, quàm familiariter uſus fuerit, quantáve ſibi neceſſitas cum illo interceſſerit, vel ex iſtis Elegiæ III. verſib. liquet:

Hîc mihi magnarum ſcrutator maxime rerum,
Solus Boheti fers miſeratus opem.
Nam cùm me curis intentum ſæpe videres,
Nec poſſes cauſſam noſcere triſtitiæ:

Tandem proſpiciens, tali me peſte teneri,
Mitibus alloquiis pandere clauſa iubes:

& quæ conſequuntur. Sic autem legunt duo ſcripti codices, & vetus editio Pariſienſis, non, ut in vulgatis, *Boheti*, quod eſt à manu Pomponii Gaurici. Et hæc hactenus de Maximiano, ignoto uſq; ſcriptore: quem unus aliquis Monachus grandi Cõmento devenuſtatum, etiam patrìto deveſtivit nomine, ſcribens: *Cauſa efficiens eſt Ovidius, qui dicitur Amores ſuos per Elegias deſcripſiſſe.* Tu verò, mi Prior, ſaniùs ſapiens meâ nunc comitate facias licet, uti natalibus ſuis ab Senatu Critico reſtituatur.

OFILIUS SERGIANUS.

Quòd hic Auctor modò renaſcitur, beneficio debet veterum ſchedarũ Illuſtriſſimi Monaſterii Campidonenſis in Algovia. Qui Ovidio tribuerunt, ſcire licet, deceptos fuiſſe affinitate nominũ. Facilis enim

migratio fuit ex OFILIUS in OVIDIUS. Nec dubito, quin conſimiliter peccatum ſæpenumerò fuerit in iſtis nominibus, OLYBIUS, OLYBRIUS, OLYMPIUS, OVILIUS, OVINIUS, OPILIUS, OPILIO, quæ cognationem quandam cùm inter ſeſe, tùm habent cum OVIDIO.

ALBUS OVIDIUS Iuventinus.

Hanc inſcriptionem habet exẽplar à Jacobo Cujacio JC. collatum, quod ex bibliotheca Antonii Verderii Nobilis Lugdunenſis nactus ſum. Hominem in Langobardia natum an verſatum indicat verſus ille,

Dulce palar a ſonat, quam dicunt nomine droſtam.

Nam *droſtæ* vox, ſi non ab Herulis & Gothis, certè à Longobardis fuit Italiam illata. Eſt autem ea avis, quæ nobis hodieq; **Droſtel**. Porrò Balbus Januenſis Monachus ex Ordine Dominicanorum in Catholico ſcribit: *Acredula, quædam modica avis,*

quæ

quæ aliter dicitur Lucinia. De hac dicit Cicero:

Et matutinos exercet acredula cantus.

Ecquantum abit hic verſus ab illo Juventini noſtri diſticho:

Vere calente nouos componit acredula cantus,

Matutinali tempore tunc mitilans.

Falſus autem Balbus. non enim ex Luſciniarum, ſed Alaudarum genere eſt acredula. Porro hunc ſcriptorem fuiſſe Chriſtianum, ſatis arguit verſus ille penultimus;

Cuncta ſuo Domino depromunt munera laudum.

Nam cuncta animalia, pennipotentia quam maxime, Deo laudes dicere, in Pſalmis docemur.

JULIUS SPERATUS.

Hujus quatuor habui ſcripta exemplaria: duo ex Illuſtriſſimo S. Galli apud Heluetios Monaſterio: tertium ex bibliotheca Bartholomæi Schobingeri JC. quartum à Petro Roveriano, Typographo Gene-

venſi: Tria erant ἀντίγραφα: ſolus Sanctigallenſis Codex, in quo Claudiani, Fortunati, Paulini & Walafridi quædam poëmata, hujuſcemodi repræſentat titulum: VERSUS JULI SPERATI DE PHILOMELA. cujus etiam ſcripturam & ſtructuram verſuum per omnia ſecuti ſumus.

PAMPHILUS MAURilianus.

Guermundus in Commentario in Artem Priſciani: *Item invenitur ſociabus. Maurilianus in de Amore.*

Pulchrior hic ſociis, ſociabus pulchrior ipſa es.

Qui verſus reperitur in Eleg. XVIII. Balbus Januenſis, qui ante annos plus minus quadringentos vixit, in Catholico: *Pamphilus interpretatur totus amor, & corripit penultimã: Vnde.*

Pamphile tolle manus, iamq́ redibit anus.

Verſus exſtat Eleg. LVI. Vulgatus liber ejuſmodi habet indicem: *Pamphilus de Amore, plures in ſe continens*

ele-

elegantias, modumq́; quo quis ametur deſcribens, incipit. Hinc & vulgò citari ſolet: *Pamphilus de Amore.* Franciſcanus aliquis aut Dominicanus Monachus, qui Commentum in hunc libellum Scholaſticis ſuis dictavit, Ovidio adſcripſit. Ejus verba ſunt: *Pro primo; actor fuit Ovidius, ut quidam dicunt, qui tam de arte amandi, quàm de remedio amoris, ſcripturæ plura mandavit.* Libellus, præterquam quod barbarus, eſt etiam fœdiſſimè mendoſus & corruptus, verbis paſſim & ipſis interdum verſibus luxatis & tranſpoſitis. Emendet, cui libido eſt nugari.

PSEUDO OVIDIUS.

Nihil vidi libellis iſtis de Vetula ineptius, nihil abſurdius, nihil (vt uno abſolvam verbo) ſtolidius. Ut ſatis mirari nequeam, à Gyraldo, viro ſummi judicii ſummæque doctrinæ, laudari potuiſſe. Auctor de vita Philoſophorum & Poëtarum, quem tu, Prior Venerande, in lectiſſima tua

Digitized by Google

bibliotheca manu deſcriptum poſſides, cap. CXII. *Ovidius Naſo Poëta claruit tempore Tyberii Cæſaris, & mortuus eſt in exilio. Hic ſcripſit li. poëticos metricos, de Nuce lib. I. Inventionis li. I. Epiſtolarũ li. I. Sine titulo li. III. de arte amãdi III. de Remedio amoris li. II. Metamorphoſios, li. XV. de Faſtis li. VI. (Dicitur tamẽ quod fecit XII. ſed vltimi ſex nõ habentur) de Triſtibus li V. de Vetula li. I. de Fortuna lib. I.* Qui, ut apparet, hos libellos non vidit: nec item Manutius, qui *de Vetula, de Quatuor humoribus, de Ludo latrunculorum* diverſos titulos facit, quum ſub vno VETULÆ nomine Pſeudo iſte Ovidius præſcripſerit. Nam de ludo latrunculorum ſive ſcacorum tractat lib. I. cap. XXX. & duobus ſequentibus: de quatuor humoribus lib. III. cap. XV. Quod ad inſcriptionem, quicumq; huius bardi opuſculi auctor fuit, id ementitis OVIDII pariter & LEONIS, PROTONOTARII nominibus publicavit. LEONIS, in quam, quem bellus iſte nugator *ſub Vatachio Principe* in Aula By-

Digitized by Google

zantina vixiſſe tradit, quum nullus VATACHIUS Conſtantinopolitanorum Imperator in rerum natura exſtiterit. Ego arbitror, nec puto me animi falli, hominem Italum fuiſſe, ſed Græcorum Imperatori, à literis forſitan Latinis. Scopus auctori non malus, licet malè diſerto; iſque quintuplex. Nam indubiò in votis erat Græcam gentem: I. à ſcortationibus ad honeſta exercitia abducere: II. à luſu alearum ad philoſophiæ rationes: III. ab eviratione & eunuchiratione puerorum, quæ impudicis Græcis nimium quantum uſitata olim & frequens, adeò ut pleræque Eccleſiæ ab hoc impudico hominum genere regerentur, ipsâ etiam Archipatriarchali Conſtantinopolitanâ ſede Eunucho commiſsâ, ut hiſtoriæ teſtantur: IV. ab otio ad cognitionem rerum naturalium & divinarum: V. denique à perfidia Mahometis ad cognitionem Chriſti Dei filii. Non valde veterem eſſe ſcriptorem, poſtrema capita ſatis evincunt,

Digitized by Google

cunt, in quibus de exaltatione diſſerit D. Mariæ Virginis Deiparæ; cui æquabilem cum Filio poteſtatem, & mediationem generis humani aſſignat. Quæ eſt recens Scholaſticorum diſputatio.

B. BEDA VENERABILIS PRESBYTER.

Petrus Pithœus in Emendation. ad Vetera Epigrãmata, vbi de Sympoſio: *Meminit Sigebertus Gemblacenſis de Aldhelmo Scoto loquens, cuius quidẽ nos Aenigmata editione digna nõ putavimus: ut nec BEDAE nomine Eclogam de conflicta Veris & Hiemis, licet exemplaria ad manum eſſent.* Nobis verò has Eclogas de CUCULO publicare viſum, non quòd dignas cognitione iudicaremus, ſed ut curioſus lector ſciret, cujuſmodi nugas Ovidio barbarorum imperitia affinxerit. Quaſi non honeſtius ſub nomine ſanctiſſimi Bedæ, quàm profaniſſimi Ovidii, adoleſcentulis proponere potuiſſent.

Google

BE-

BENIGNUS FLORIACENSIS.

Pudet dicere, & tamen dicendum eſt; etiam ſmerdaleam hanc elegiã; q̃ ne ancilla quidem, quæ latrinam lauat, miniſterio ſuo dignaretur, alius Ovidio, alius (ſi Diis placet) Martiali, adſcripſerunt. Phu phu in malam crucem cum iſtoc ſtercore. MS. Exemplar Chartaceum, quod fuit Franciſci Jureti Canonici Divionenſis, hoc quod appoſui, nomen præfert.

BERNARDINUS CILLÆNIUS VERONENſIS.

Amorum hic ad Juliam libellus vulgò ſub FRANCISCI OCTAVII nomine circumferebatur. Sed Matthias Schurerius in calce editionis ſuæ ſcribit: *Sunt qui has Elegias quidam Cilleneo Veronenſi Poëta Clariſſimo aſcribant.* Is eſt CILLENIUS, qui ſub Friderico III. Imp. Commentarios in Priapeia & Ti-

Digitized by Google

&Tibullum ſcripſit: quorum illi non prodierunt, ſi nuper Pariſiis recuſi exſtant.

ANTONIUS CODRUS VRCEUS BOnonienſis.

Habeo huius Rithmi duo Chartacea exemplaria manu deſcripta: quorum prius Ouidio tribuitur ab impudentiſſimo nebulone: alterum annotationibus ſcholaſticis illuſtratum hunc refert titulum: *Rithmus die Martini pronunciatus à CODRO.* Sub cuius etiam nomine olim editum exſtat. Vixit hic CODRUS ſub Impp. Sigiſmundo & Friderico III. Augg.

Fr. BAPTISTA MANTUANUS CARMELITA, Theologiæ Doctor.

Monachi & Præceptores quidam ſcandalum verecundæ iuventuti fecerunt. Ita, mi Prior, ſi Divam Virginem amas, cum Mantuano tuo maledic illos carmine, vt habeant pudorem.

Digitized by Google

Hi

Hi ſunt Scriptores, Prior Venerande, quos ut clariſſimo nomine tuo proſcriberem, multæ me cauſſæ ſubegerunt. Tandem aliquando aliquid reponendum fuit feſtiviſſimæ tuæ & pretioſa omnis generis librorum ſupellectile adornatæ bibliothecæ, quam tu, quum antecesſorum partim incuriâ, partim (pace piorum Manium dixerim) prodigitate deſtructam offendiſſes, de integro multis impenſis magniſque laboribus inſtituiſti & reparaſti. Abſque qua foret, ecquid haberent Francofordiani, quod peregrinis & viatoribus pro monimento oſtentarent? Ita ſumptus & ſudores tui in uniuerſæ Reipublicæ gloriam vertuntur. Nam quid memorem Electores, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Duces, Principes, Abbates, Præpoſitos, Comites, Barones, Priores, Doctores, Magiſtros, Equites, Scholaſticos, qui ex omni terrarum orbe in has oras peregrinando delati ad Bibliothecam tuam admitti & interviſere deſiderarunt?

Digitized by Google

Tanti ô magis præſtat biblorum quàm vinorum thecas colere. Nec more multorum Collegiorum libros condis, ut condas, hoc eſt, oculos paſcas, aut blattis ac tineis præbeas pabulum; ſed uteris, & (præfiſcini hoc dixerim) in omni doctrinarum genere ita verſaris, ut in antiquitatum & hiſtoriarum ſtudiis omninò neminem, in magiæ naturalis & melioris philoſophiæ cognitione non benemultos ex ordine Sacro audiuerim, quibus tu palmam cedere iure ac merito debeas. Non obtrudo tibi palpum, ne verearis: expers eo more ſum; & me noſti, quàm ſoleam apud amicos amicè, id eſt, verè loqui. Debent tibi hi ipſi ſcriptores, quod nunc lucem vident, & per ora virorum publicitur auctoritate tua freti volitant, liberè nos admonentes, vt grates Deo pro tam denſarum tenebrarum diſpulſione, in quibus maiores noſtri palpitarunt & offenderunt, agamus. Multi verò minùs condis, ut abſcondas, ceu Plautinus ille Euclio ollam auri ple-

Digitized by Google

nam

nam, ſed promis volenter in bonum publicum, & communicas ſapientiæ ac prudentiæ ſtudioſis. Quid de judicio & memoria dicam? quibus jam ſeptuagenarius ita validis ac vegetis fruere, ut compluribus, me præſente, viſus fueris nec dum quadraginta annos attigiſſe. Ea tibi Deum porrò quoque confirmare volo, cuius te tutelæ commendo; & me amori ac favori tuo. Vale, Prior mihi æternùm amande & colende, & hoc meum de te teſtimonium etiam poſt fata accipe. Ex Muſæo meo. V. Kalend. Martii, A. C. N. cIↃ IↃ X.

Digitized by Google

P. OVIDII NASONIS SULMONENSIS.

EPIGRAMMATA SCHOLASTICA.

DE XII. LIBRIS ÆNEIDOS.

PRimus habet Pelagi minas, terræq; ſecundus;
Tertius errores, & amores quartus Eliſæ,
Quintus habet ludos, ſextus deducit ad vmbras;
Septimus Auſonios Æneam proximus armat,
Nonus Hirtaciden, decimus Pallanta peremit,
Undecimus Drancem, damnat pars ultima Turnum.

ITEM EIUSDEM.

Æneas primo Libyes appellitur oris.
Funera Dardaniæ narrat fletusq; ſecundo.
Tertius errores canit, amiſſumq; parentem.
Vritur in quarto Dido flammasq; fatetur.
Quintus habet ludos, & claſſem corripit ignis.
Quæruntur ſexto Manes, & Tartara Ditis.
Septimus Æneam reddit fatalibus arvis.
Præparat octavo bellum, quos mittat in hoſtes.
Nonus habet pugnas, nec adeſt dux ipſe tumultus.
Occidit Æneæ decimo Mezentius ira.
Vndecimo victa eſt non æquo Marte Camilla.
Duodecimo Turnus divinis occidit armis.

ITEM EJUSDEM.

Quantum Virgilius magno conceſſit Homero,
Tantum ego Virgilio Naſo Poëta meo.
Nec me prælatum cupio tibi, ferre Poëta:
Ingenio tantum ſi ſequor, hoc ſatis eſt,
Argumenta quidem librorum prima notavi,
Errorem ignarus ne quis habere queat.
Bis quinos legerent feci, quos carmine, verſus,
Æneidos totum corpus ut eſſe putent
Adfirmo gravitate mea me carmine nullum.
Livoris titulum præpoſuiſſe tibi,

PRIMI LIBRI.

Vir magnus bello, nulli pietate ſecundus
Æneas odiis Junonis preſſus iniquæ,
Italiam quærens Siculis erravit in undis.
Jactatus tandem Libyæ pervenit ad oras,
Ignarusq; loci, fido comitatus Achate,
Indicio matris regnum cognovit Eliſæ.
Quinetiam nebula ſeptus pervenit ad urbem,
Arreptosq; undis ſocios cum claſſe recepit,
Hoſpitioq; uſus Didonis, cuncta benigne
Excidium Troiæ juſſus narrare parabat.

SECUNDI.

Conticuere omnes, tunc ſic fortiſſimus heros
Fata recenſebat Troiæ, caſusq; ſuorum;
Fallaces Grajos: ſimulataq; dona Minervæ:
Laucontis pœnam, laxantem clauſtra Sinonem:
Somnum, quo monitus acceperat Hectoris, atrū:
Jam flammas cœli Troum, patriæq; ruinas
Et Regis Priami fatum miſerabile ſemper:

Digitized by Google

Impoſitumq́ patrem collo: dextraq́ prehenſum
Aſcanium, fruſtra à tergo comitante Creuſa:
Ereptam hanc fato: ſocios in monte receptos.

TERTII.

Poſt everſa Phrygũ regna, ut fuga cœpta moueri.
Vtq́ ſit in Thracem primo devectus: ibiq́
Mœnia condiderit, Polydori cæde piata.
Regis & hoſpitium, ut Phœbi reſponſa canebant.
Ceptum iter in Cretã: rurſus nova fata reperta.
Naufragus ut fuerit Strophadas compulſus ad undas.
Inde fugã, atq́ iterũ enarrat præcepta Celano.
Liquerit utq́ Helenum perceptis ordine fatis.
Supplicẽ Achmanidẽ Polyphemo vrgente recepit.
Amiſſumq́ patrẽ Drepani, atq́ hinc inde quievit.

QUARTI.

At Regina gravi Veneris iam carpitur igni.
Conſulitur ſoror Anna: placet ſuccumbere amori:
Fiunt ſacra Deis: onerantur Numina donis.
Itur venatum. Veneris clam ſœdera jungunt.
Fati fama volat. monitus tunc numine Divum
Æneas claſſemq́ fugæ ſocioſque parabat.
Senſit amans Dido, precibus conata morari.
Poſtquã fata iubent, nec iam datur ulla facultas.
Conſcenditq́ pyram, dixitq́ nouiſſima verba,
Et vitam infelix multo cum ſanguine fudit.

QUINTI.

Navigat Æneas: Siculas defertur ad oras.
Hîc manes celebrat patrios: una hoſpes Aceſtes
Ludos ad tumulum faciunt: certamina ponunt.

Digitized by Google

Prodigium eſt cunctis ardens delapſa ſagitta.
Iris anum Beroen habitu mentita ſenili
Incendit naves ſubitus quas vindicat imber.
In ſomnis pater Anchiſes, quæ bella gerenda,
Quoq; duce ad manes poſſit deſcendere, monſtrat.
Tranſſcribit matres urbi, populumq; volentem.
Et placitum Æneas Palinurum quærit in undis.

SEXTI.

Cumas deinde venit. fert hinc reſponſa Sibylla:
Miſenum ſepelit. mons ſeruat nomen humati.
Ramum etiam ante Deū, placato numine, portat.
Et vates longæva unà deſcendit Auernum.
Agnoſcit Palinurum, & ibi ſolatur Eliſam.
Deiphobumq; videt lacerum crudeliter ora.
Vmbrarum pœnas diſcit narrante Sibylla.
Convenit Anchiſen: penituſque in valle virenti
Agnoſcitq; ſuam prolem monſtrante parente.
Hac ubi percepit, graditur, ſocioſque reviſit.

SEPTIMI.

Hic quoque Caietam ſepelit. tum deinde profectus
Laurentum venit. hanc verbis cognovit Iuli
Fatalem terram. menſis en veſcimur, inquit,
Centum oratores veniam pacemque petentes
Ad Regem mittit, lectos tum ſorte, Latinum:
Qui cum pace etiam nata connubia pactus.
Hoc ſorte Alecto Junonis diſſipat ira.
Concurrunt dictis, quamvis pia facta repugnant.
Belli cauſſa fuit violatus vulnere cervus.
Tum gentes ſocia arma parant. fremit arma juventus.

Digitized by Google

OCTAVI.

Dat belli ſignum Laurenti Turnus ab arce.
Mittitur & magni Venulus Diomedis ad urbem,
Qui petat auxiliū, & doceat quæ cauſſa petendi.
Æneas Divûm monitis adit Arcada Regem
Euandrū, Arcadia profugū, nova regna petentē.
Accipit auxilium. huic natum, & ſocia agmina jungit
Evander. Pallas fatis comes ibat iniquis.
Jamq; habilis bello, & maternis lætus in armis,
Fataq;. fortunáſq; ducum, caſúſq; ſuorum
Sortitus clipeo, divina intentus in arte eſt.

NONI.

Atq; ea diverſa penitus dum parte geruntur,
Junonis monitu Turnus feſtinat in hoſtem.
Teucrorum naves Rutulis jaculantibus ignem,
Nympharum in ſpeciem divino numine verſæ:
Euryali & Niſi cœptis fuit exitus impar.
Pugnatur. Caſtra Æneadæ vallúmq; tuentur.
Audacem Rutulum dat leto pulcher Julus.
Fit via vi. Turnus Bitian, & Pandoron altum
Dejicit, & totus victor dat funera caſtris.
Jámq; fatigatus recipit ſe in caſtra ſuorum.

DECIMI.

Conſilium Divis hominum de rebus habetur.
Interea Rutuli portis circum omnibus inſtant.
Advenit Æneas multis cum millibus heros.
Mars vocat, & totis in pugnam viribus itur.
Interimit Pallanta potens in prœlia Turnus
Caduntúrq; Duces. cadit & ſine nomine vulgus.

Subtrahitur pugnæ Junonis numine Turnus.
Æneas perſtat Mezentii cæde piata:
Et Lauſum invicta perimit per vulnera dextra.
Mox ultor nati Mezentius occidit ipſe.

UNDECIMI.

Conſtituit Marti ſpoliorum ex hoſte trophæum.
Exanimumq́; patri natum Pallanta remittit.
Jura ſepulturæ tribuit, tempusq́; Latinis.
Evander patrios affectus edit in urbe.
Corpora cæſa virûm paſſim digeſta cremantur.
Legati referunt, Diomeden arma negaſſe.
Drances, & Turnus, leges æquante Latino
Concurrunt dictis. Æneas imminet urbi.
Pugnatur. vincunt Troës. cadit icta Camilla.
Deinde duces caſtris, donec ceſſere, minantur.

DUODECIMI.

Turnus jam fractis adverſo Marte Latinis,
Semet in arma parat, pacem cupiente Latino.
Fœdus percutitur paſſuris omnia victis.
Hoc Turni Juturna ſoror confundit: & ambos
In pugnam populos agit, ementita Camertem.
Æneas volucri tardatur membra ſagitta.
Anxia pro nato ſervavit cura parentis.
Vrbs capitur. vitam laqueo ſibi finit Amata.
Æneas Turnum campo congreſſus, utrimq;
Circumfuſa acie, vita ſpoliavit & armis.

P. OVIDII NASONIS DE ÆNEIDE VIRGILII.

ET *profugum Ænean altæ primordia Romæ,*
Quo nullum Latio clarius exſtat opus.

Digitized by Google

EIVSDEM
Ad Auguſtum.

Et tamen ille tuæ felix Æneidos auctor
Contulit in Tyrios arma virumq; toros,
Phyllidis hic idem, teneræq; Amaryllidis ignes
Bucolicis iuuenis luſerat ante modis.

P. OVIDII NASONIS
EPISTOLA
Penelopæ ad Vlyſſem,
à
Carolo Utenhovio Juniore Græcè reddita.

Πηνελόπη τῷ ὀδυσσεῖ.

Σοὶ τάδε πηνελόπη βραδυνόσῳ μέμπετ᾽ ὀδυσσεῦ,
οὔτι μοι ἀντιγράφοις, αὐτὸς ἵκοιο δέ σύ.
Τροία μὲν ἀργολίδεσσι κόραις στύγος ἐξαλαπάχθη,
οὐ πρίαμός μόλις ἦν, τροία τε πᾶσα τόσου.
αὖθ᾽ ὁπόταν στέλλεν στόλον ἐς λακεδαίμονα δῖαν
μάχλος ἐπουλώθη καὶ οἴδμασι θυομένοις.
οὐκ ἂν ἐγὼ ψυχρὰ λέχος εἰσανέβην πανέρημον
οὔτ᾽ ἐπιμεμφοίμην χήρα χρόνου τὸ βραδύ.
οὐδέ τε ζητοῦσι μοι ἀπείρους νύκτας ἐλέγχειν
χηραλέας καμέοι χεὶρ ὕφος ὑψικρεμές.
πώποτε τῶν ὄντων φοβερώτερα μὴ πεφόβημαι,
πᾶς τις ἔρως πέλεται χρῆμά τι δειμαλέον.
Τρῶας ὀνειροπόλουν κρατεροὺς σοι ἐναντίον ἐλθεῖν
αἰὲν ἐς ἑκτορέην κληδόν᾽ ἄχρους γινομένη.
εἴ τε τις ἀντίλοχον λέξειε δαμέντ᾽ ὑπὸ χερσὶν
ἕκτορος, ἀντίλοχος αἴτιον ἔσχε φόβου.

Digitized by Google

ἠὲ μενοιτιάδην ὅπλοισι νόθοισι πεσόντα
κλαῖον ὅτ' ἀτυχίην οὐ δόλος αἰὲν ἔχει.
αἵματι τληπόλεμος λυκίην ἐχλίην' ἐγχείην,
φροντὶς ἐκαινίσθη τληπολέμου θανάτῳ.
καὶ τέλος ὅστις ἔπιπτεν ἀνὰ στρατὸν ἀρείων ἀχαιῶν
ψυχρότερον παγετοῦ κῆρ δυσέρωτος ἔην.
εὖ δὲ θεὸς κεδνῷ φιλόφρων προενόησεν ἔρωτι
ἀνδρὸς ἐτερώθη τροΐ' ἔτι σωζομένου.
ἡγεμόνες νόστησαν ἀχαιῶν, καὶ ἐπὶ βωμοῖς,
βάρβαρ' ἐπικρέμαται θεοῖς πατρίοις λάφυρα.
νύμφαι δῶρα φέρουσιν ἐπ' ἀνδράσι σωζομένοισι
τῶνδε τρόπαια φρυγῶν μυθολογευομένων.
θαυμαίνουσι κόραι δειλαὶ, πρέσβεις τε δίκαιοι,
ἀνδρὸς ἀπὸ στόματος πᾶσα γυνὴ κρέμαται.
καί τις ἀριστείας, θεμένης ἐπέδειξε τραπέζης,
ζωγραφέων οἴνῳ τροίαν ὅλην ὀλίγῳ.
ἔρρεε τῇ σιμόεις, τῇ δ' ἦν σιγήϊον οὖδας,
τῇ δ' ἔστη πριάμου πρέσβεος ἀκρόπολις.
αἰακίδης μὲν τῇ, τῇ δ' αὖ σκήνωσεν ὀδυσσεύς,
τῇ δ' ἕκτωρ ἵππους τρέσσεν ὑπὸ ζυγίους.
πάντα γὰρ ἐκπεμφθέντι σε μαστεύειν σεό τέκνῳ
εἶπε γέρων νέστωρ, εἶπεν ἐκεῖνος ἐμοί.
εἶπε δ' ἐναιρομένους, ῥῆσόν τε δόλωνά τε χ' ὅππως
ὤλετ' ὁ μὲν προδοθεὶς ὕπνῳ, ὁ δ' αὖτε λόχῳ.
τλῆς σὺ ἄρ' ὦ λίαν, λίαν τὰ σὰ φίλα τ' ἀκηδῶν.
θρακῶν στρατὸν νυχίαις ἐμβατέειν ἐνέδραις.
καὶ τόσους ἅμ' ἐναρίζειν ἑνὸς ἄνδρας ἐρωγῇ
εὖ γε σέο προνοῶν καὶ περιφρόντις ἐμεῦ.
αἰὲν ἐπάλλετ' ἐμοῦ κόλπος φόβῳ, ἡ νίκ' ἀριστεὺς
πώλοις ἡμαρίοις βῆς στρατὸν ἂν φίλιον.
ἀλλά τι πλεῖον ἐμοὶ σφετέραις πορθούμενα χερσὶν
πέργαμα, καὶ τοῖχος τὸ πρὶν ἐὼν, δάπεδον.

εἰ ἔτι μέλλω ἔσεσθ', οἵη πρὶν τροίαν ἀλῶναι
καὶ μοι χηρεοσύνης οὔτι πέφηνε πέρας.
ἄλλοις τροί' ἐπεράθη μέν, ἀπόρθητος δέ μοι οἴη
τὴν βοῒ ληϊδίῳ ξεῖνος ἀροτριάει.
νῦν σπόρος ἔνθ' ἦν τροία, καὶ ἡ δρεπανηλόμος αἶα
σφριγᾷ δαρδανίῳ αἵματι πιαλέη.
ἀνδρῶν ἡμιταφῆ κυφοῖς κροτέονται ἀρότροις.
ὀστέ' ἐρειπιάδεις κρύψε δόμους βοτάνη.
ὁ πολίπορθος ἑκὰς σὺ καὶ ἡ τριβὴ ἥτις ἄδηλος
ἐστὶ καὶ ἥ τις γῆ κρύψε σιδηρόφρονα.
ὅστις ἐπ' ἠϊόνι ξείνην νέα τῇδε πελάζει
κεῖνος ἀπαίρει ἐμοὶ πολλ' ἐρεεινόμενος.
σοί τε κομιζομένη εἴπου τις ἐναντίον ἔλθῃ
αὐτόγραφος παρ' ἐμοῦ δέλτος ἐπιτρέπεται.
στείλαμεν ἐς τε πύλον νηλητίδα νέστορος αἶαν
πρεσβέοι, ἐκ δὲ πύλου φήμη ἀνῆλθ' ἀφανής.
στείλαμεν ἐς σπάρτην, σπάρτη δὲ καὶ αὐτὴ ἄϊδρις
γῆν τινα ναιετάεις, πῇ τε χρόνον τριβέεις.
κάλλιον εἰσέτι νῦν πυργώματα φοίβου ἔμειναν,
μέμφομαι αὐτὴ ἐμοῖς εὔγμασι κουφόνοος,
εἶδον ἂν ἦχι μάχη καὶ ἔτρεον ἂν μόνον ἄρην,
καὶ πολέων ξυνὴ μέμψις ἂν ἦεν ἐμοί. (γρ. ἔοικεν ἐμοί.)
οὐχ οἶδ' ὅτι δέδοικα, δέδοικα δὲ πάντα
φρενόπληξ
ἐς μελεδῶνας ἐμὰς πέπταται εὐρὺ πέδον.
ὅσσα τε πόντος ἔχει καὶ ὅσσ' ἀποφώλια γαῖα
αἴτια τοσσαύτης οἴομαι ἀμβολίης.
ταῦτα μοῦ οἰομένης ἀνεμώλια, οἷος ἐφ' ὑμῖν
οἶστρος ἐνῆν, τάχα σε ξεινὸς ἔμαρψεν ἔρως.
καὶ τάχα φημίσαις κεν ὅσσον σοι ἀγροῖκος ἄκοιτις
ἥτε μόνον πείκειν εὖ δεδάηκε πόκας.

ἀλλοί-

ψαδοίμην, καὶ οὐ τὸ ὑπωλωλέμον εἶεν ὄνειδος.
μηδὲ παλινδροπίης στέρξον ἐλαθεείην.
Ἴκαριος με πατὴρ παύσασθαι ἀνλώρος δ' εὐνῆς
πρεσβιάων ἀμέτροις μέμφεται ἀμβολίαις.
μεμφέσθω μὲν, ἐγὼ δέ σοι εἴλω, σή τε καλοίμην
αἰὲν ὀδυσσῆος πηνελόπεια γυνή.
σοῖα δ' ἐναντιλόγως ὅτι κοιρανέοντι μελάθροις,
ἁμὰ στεοκλῆσες σπλάχνα διεσκέδαται.
σοί δε τι πεισάνδρον, πολύβοντε μέδοντα τ' ἀπεχθῆ
λάβρας εὐρυμάχου, ἀντινόου τε χέρας.
ἄλλους τ' ἐξκαταλέξω, ὅσους ἀπέων σὺ παρ' αἶσαν
βόσκεαι ὠνητοῖς αἵματι σοῦ κτεάνοις.
Ἶρος ὁ πτωχὸς σιώ τε μελανθίου ἴς βορομήλου
πήμασι προσθήκη σοῖς πέλει ὑστατίη.
τρεῖς ἐμὲν ἀδρανέες τὸν ἀριθμὸν, ἄναλκις ἄκοιτις
λαέρτης τε γέρων, τηλέμαχός τ' ἔτι παῖς.
χ' ὁ μὲν ἐνοσφίσθη σχεδὸν ἄρτι μου ἐξ ἐπιβουλῆς
πανταέκητι πύλονδε ἐλθέμεναι μεμαώς.
ζεὺς μοι ἐπικραίνειεν ὅπως κατὰ μοῖραν ἑκάστου
ὥστε καλύψασθαι τὸν δ' ἐμὰ, τὸν δὲ τὰ σά.
ταῦτα βοῶν ἐπίκουρος ἅμ' εὔχεται, ἠδὲ τροφὸς γρηΰς
καὶ τρίτος ὁ ῥυπαροῦ πιστὸς ἄναξ συφεοῦ.
οὐ μὴν λαέρτης ἀχρεῖος ὢν ὑπὸ γήρως
τῶν ἀθρόων δύναται δυσμενέων κρατέειν.
τηλεμάχῳ δὲ πλέον σθένος ἵξεται, εἰ σόος ἔσται
Νῦν οἱ ἀμύνεσθαι πάτειον ἄλκαρ ἐχρῆν.
οὐδέ μοι ἰσχὺς ἔνεστιν ἐλαυνέμεν οἰκόθεν ἐχθρούς
τιὼν θᾶσσον ἵκου αὖρα λιμήν τε τεοῖς.
ἔστιν, ἔσται τε σόος παῖς εὔχομαι ὄντε τερείνῃ
πατρὸς ἔδει μελεταῖν τέχνας ἐν ἡλικίῃ.
φρὴν ξεῖο λαέρτην ὅππως ἔλθεν ὥστε καλύψῃς
μοιρίδιον φάος οἱ ἄκρον ὑπερκρέμαται.

Digitized by Google

ἦ νύ με σοῦ ποτ' ἐοῦσαν ἀποιχομένοιο κορείσκην
φαίης καὶ Ἰωάννης αὐτίκα χαίδιον.

τέλος τῆς πηνελοπηίδος ἐπιστολῆς.

κάρολος οὐθὲν-ὁ-βίος
νεώτερος.

Φύλλις Δημοφόοντι.

Σὴ ποτὲ Δημοφόον ξείνη ῥοδοπηΐα φύλλις
μακρότερον ῥητοῦ μέμφομ' ἀπόντι χρόνου.
πληθομένων ἐς ἅπαξ κεράων διχομήνιος αἴγλης.

* * *
*

F I N I S.

OVIDII JUNIORIS
Somnus,
Sive
E L E G I A
De Somnio ſuo.

Nox erat, & ſomnus laſſos ſubmiſit ocellos,
Terruerant animum talia viſa meum.
Colle ſub aprico celeberrimus ilice lucus
Stabat, & in ramis multa latebat avis.
Area gramineo ſuberat viridiſsima prato,
Humida de guttis lene ſonantis aquæ.
Ipſe ſub arboreis vitabam frondibus æſtum,
Fronde ſub arborea ſed tamen æſtus erat.
Ecce petens variis immiſtas floribus herbas
Conſtitit ante oculos candida vacca meos:

Digitized by Google

Candidior nivibus, tunc cùm cecidere recentes,
In liquidas nondum quas mora vertit aquas:
Candidior quod adhuc ſpumis ſtridentibus albet,
Et modo ſiccatam lacte relinquit ovem.
Taurus erat comes huic: feliciter ille maritus
Cumq; ſua teneram conjuge preſſit humum.
Dùm jacet, & lentè revocatas ruminat herbas,
Atq; iterum paſto paſcitur ante cibo.
Viſus erat ſomno vires adimente ferendi
Cornigerum terra depoſuiſſe caput.
Huc levibus cornix pennis delapſa per auras
Venit, & in viridi garrula ſedit humo.
Terq; bovis niveæ petulanti pectora roſtro
Fodit, & albentes abſtulit ore notas.
Illa locum, taurumq; diu cunctata reliquit,
Sed niger in vaccæ pectore livor erat.
Vtq; procul vidit carpentes pabula tauros
(Carpebant tauri pabula læta procul)
Illuc ſe rapuit, gregibusq; immiſcuit illis,
Et petiit herbæ fertilioris opem.
Dic age nocturnæ quicumq; es imaginis augur,
Si quid habent veri, viſa quid iſta ferant:
Sic ego. Nocturnæ ſic dixit imaginis augur,
Excudens animo ſingula dicta ſuo:
Quem tu mobilibus foliis vitare ſolebas,
Sed malè vitabas, æſtus amoris erat.
Vacca, puella tua eſt; aptus color ille puellæ:
Tu vir, & in vacca compare taurus eras.
Pectora quod roſtro cornix fodiebat acuto,
Ingenium dominæ lena movebat anus.
Quod cunctata diu taurum ſua vacca reliquit,
Frigidus in viduo deſtituere thoro.

Google

Livor

Livor & adverſo maculæ ſub pectore nigræ,
Pectus adulterii labe carere negant.
Dixerat interpres: gelido mihi ſanguis ab ore
Fugit, & ante oculos nox ſtetit alta meos.

F I N I S.

CORNELII MAXIMIANI GALLI ETRUSCI Amores,

Sive

ELEGIARVM LIBELLVS.

ÆMula cur ceſſas finem properare, ſenectus?
Cur & in hoc feſſo corpore tarda ſedes?
Solve precor miſeram tali de carcere vitam,
Mors eſt jam requies, vivere pœna mihi.
Non ſum qui fueram, periit pars maxima noſtri,
Hoc quoq; quod ſupereſt, languor & horror habet.
Lux gravis in luctu, rebus mœſtiſſima lætis,
Quodq; omni eſt pejus funere, velle mori.
Dum juvenile decus, dum mẽs ſenſusq; manebat,
Orator toto clarus in orbe fui.
Sæpe poëtarum mendacia dulcia finxi,
Et veros titulos res mihi ficta dedit.
Sæpe perorata percepi lite coronam,
Et data ſunt linguæ præmia digna meæ.
Quæ cum defunctis jam ſunt immortua membris,
Heu ſenibus vitæ portio quanta manet?
Nec minor his aderat ſublimis gratia formæ,
Quæ, vel ſi deſint cætera multa, placet.

Digitized by Google

Quin etiam virtus fulvo pretioſior auro,
Per quam præclarum plus micat ingenium.
Si placuit canibus denſos circumdare ſaltus,
Occubuit telis præda petita meis.
Si libuit celeres arcu tentare ſagittas,
Proſtraui multas non ſine laude feras.
Dulce fuit madidam ſi fors verſare palæſtram,
Implicui validis lubrica membra thoris.
Nunc agili curſu cunctos anteire ſolebam;
Nunc Tragicos cantus exuperare meo.
Augebat meritum dulcis mixtura bonorum.
Vt ſemper, varium plus micat artis opus.
Nam quæcunque ſolent per ſe perpenſa placere,
Alternò potius vincta decore placent.
Has inter virtutis opes, tolerantia rerum,
Spernebat cunctas inſuperata minas.
Vertice nudato ventos pluviasque ferebam,
Non mihi ſolſtitium, nec grave frigus erat.
Innabam gelidas Tyberini fluminis undas,
Nec metui dubio credere membra freto.
Quamvis exiguo poteram requieſcere ſomno,
Et quamvis modico membra fovere cibo.
At ſi me ſubito vinoſus repperit hoſpes,
Aut lenis fecit ſumere vina dies.
Ceßit & ipſe pater Bacchus, ſtupuitque bibentem,
Et quicunque ſolet vincere, victus abit.
Haud facilè eſt animum tantis inflectere rebus,
Vt res oppoſitas mens ferat una duas.
Hoc quoque virtutū quondam certamine, Magnum
Socratem palmam promeruiſſe ferunt.
Hinc etiam rigidum memorāt valuiſſe Catonem,
Non res in vitium, ſed male facta cadunt.

Digitized by Google

Intrepidus quæcunque forent, ad utrumque ferebar,
Cedebant animo triſtia cuncta meo.
Pauperiem, modico contentus, ſemper amavi.
Et rerum dominus nil cupiendo fui.
Tu me ſola tibi ſubdis miſeranda ſenectus,
Cui cedit, quicquid vincere cuncta poteſt.
In te corruimus, tua ſunt, quæcunque fatiſcunt.
Vltima quæque tuo conficis ipſa malo.
Ergo hic ornatum meritis Etruria noſtris
Optabat natis me ſociare ſuis.
Sed mihi dulce magis, reſoluto vivere collo,
Nullaque conjugii vincula grata pati.
Ibam per mediam vernali corpore Romam,
Spectandus cunctis undique virginibus.
Quæque peti poterat, fuerat vel fortè petita,
Erubuit vultus viſa puella meos.
Et nunc ſubridens latebras fugitiva petebat,
Non tamen effugiens, tota latere volens.
Sed magis ex aliqua cupiebat parte videri,
Lætior hoc multo, quod malè tecta foret.
Si cunctis formoſus ego, gratusque videbar
Omnibus, & ſponſus ſic genialis eram.
Sed tantum ſponſus, nam me natura pudicum
Fecerat, & caſto pectore durus eram.
Nam dum præcipuæ cupio me jungere formæ,
Permanſi viduo frigidus uſque toro.
Omnis fœda mihi, atque omnis mihi ruſtica viſa eſt
Nullaque conjugio digna puella meo.
Horrebam tenues, horrebam corpore pingues,
Nec mihi grata brevis, nec mihi longa fuit.
Cum media tantùm dilexi ludere forma,
Major enim mediis gratia rebus ineſt.

Digitized by Google

Corporis has noſtri mollis laſcivia partes
Incolit, has ſedes mater amoris habet.
Quærebam gracilem, ſed non quæ macra fuiſſet,
Carnis ad officium carnea membra placent.
Sic quod in amplexu delectat ſtringere corpus,
Ne lædant preſſum quælibet oſſa latus.
Candida contempſi, niſi quæ ſuffuſa rubore
Vernarent propriis ora ſerena roſis.
Hunc Venus ante alios ſibi vendicat ipſa colorem,
Diligit & florem Cypris ubiq; ſuum.
Aurea cæſaries, demiſſaq; lactea cervix,
Vultibus ingenuis viſa ſedere magis.
Nigra ſupercilia, & frons libera, lumina nigra,
Vrebant animum ſæpe notata meum.
Flammea dilexi, modicumq; tumentia labra,
Quæ mihi guſtanti baſia plena darent.
In tereti collo viſum pretioſius aurum,
Gemmaq; judicio plus radiare meo.
Singula turpe ſeni quondam quæſita referre.
Et quod tunc decuit, jam modò crimen habet.
Diverſos diverſa juvant, non omnibus annis
Omnia conveniunt, res prius apta nocet.
Exultat levitate puer, gravitate ſenectus,
Inter utrumque manens ſtat Juvenile decus.
Hunc tacitum triſtemq; decet, ſit clarior ille,
Lætitia, & linguæ garrulitate ſuæ.
Cuncta trahit ſecum, vertitq; volubile tempus.
Nec patitur certa currere quemque via.
Nunc quia longa mihi gravis eſt, & inutilis ætas
Vivere quum nequeam, ſit mihi poſſe mori.
O quàm dura premit miſeros conditio vitæ,
Nec mors humano ſubjacet arbitrio.

Digitized by Google

Dulce mori miſeris, ſed mors optata recedit:
At quum triſtis erit, præcipitata venit.
Me verò heu tantis deſunctum partibus olim
Tartareas vivum conſtat inire vias.
Jam minor auditus, guſtus minor, ipſa minora
Lumina, vix tactu noſcere certa queo.
Nullus dulcis odor, nulla eſt jam grata voluptas,
Senſibus expertem quis ſupereſſe putet?
En Lethæa meam ſubeunt oblivia mentem,
Nec confuſa ſui jam meminiſſe poteſt.
Ad nullum conſurgit opus, cùm corpore languet,
Atq; intenta ſuis obſtupet ipſa malis.
Carmina nulla cano, cantandi ſumma voluptas
Heu fugit, & vocis gratia vera perit.
Non fora ſollicito, nec blanda poëmata fingo,
Litibus heu rapidis commoda dura ſequor.
Ipſaq; me ſpecies quondam dilecta reliquit,
Et videor formæ mortuus eſſe meæ.
Pro niveo rutiloq; prius, nunc inficit ora
Pallor, & exanguis funereusq; color.
Aret ſicca cutis, rigidi ſtant undiq; nervi,
Et lacerant uncæ tabida membra manus.
Quondam ridentes oculi, nunc fonte perenni
Deplangunt pœnas nocte dieq; ſuas.
Et quos grata prius ciliorum ſerta tegebant,
Deſuper incumbens hiſpida ſylva premit.
Ac velut incluſi cœco conduntur in antro,
Neſcio quid torvum vel furiale vident.
Jam pavor eſt vidiſſe ſenem, nec credere poſſis
Hunc hominem humana qui ratione caret.
Si libros repeto, duplex ſe littera findit,
Largior accurrit pagina nota mihi.

Digitized by Google

Claram per nebulas videor mihi cernere lucem,
Nubila ſunt oculis ipſa ſerena meis.
Eripitur ſine nocte dies, caligine cæca
Septum, Tartareo quis neget eſſe loco?
Talia quis demens homini perſuaſerit autor,
Vt cupiat voto turpior eſſe ſuo.
Jam ſubeunt morbi, ſubeunt diſcrimina mille,
Jam dulces epulæ, deliciæq; nocent.
Cogimur à gratis animum ſuſpendere rebus,
Atq; ut vivamus, vivere deſinimus.
Et jam me dudum cui nulla adverſa nocebant,
Ipſa, quibus regimur, nunc alimenta gravant.
Eſſe libet ſaturum, ſaturum mox eſſe pigebit,
Præſtat ut abſtineam, aſt abſtinuiſſe nocet.
Quæ modò profuerat, contraria redditur eſca.
Faſtidia jacet, quæ modò dulcis erat.
Nõ Veneris ſunt grata mihi, nec munera Bacchi,
Nec quicquid vitæ fallere damna ſolet,
Sola jacens natura manet, quæ ſponte per horas
Solvitur, & vitio carpitur ipſa ſuo.
Non toties experta mihi medicamina proſunt,
Non ægris quicquid ferre ſolebat opem.
Sed cum materia pereunt, quæcunq; parantur,
Fit magis & damnis triſtior urna meis.
Non ſecus inſtantem cupiens fulcire ruinam,
Diuerſis contra nititur obicibus.
Donec longa dies, omni compage ſoluta,
Ipſum cum rebus ſubruat auxilium.
Quid? quod nulla levãt animum ſpectacula rerũ,
Nec mala tot vitæ diſsimulare licet.
Turpe ſeni vultus nitidi, veſteſq; decoræ,
Atq; etiam eſt ipſum vivere turpe ſenem,

Crimen amare jocos, crimen convivia, cantus,
O miſeri quorum gaudia crimen habent.
Quid mihi divitiæ, quarum ſi demeris uſum,
Quamvis largus opum, ſemper egenus ero.
Imò etiam pœna eſt, partis incumbere rebus,
Quas quum poßideas, eſt violare nefas.
Non aliter ſitiens vicinas Tantalus undas
Captat, & appoſitis abſtinet ora cibis.
Efficior cuſtos rerum magis ipſe mearum,
Conſervans aliis quæ periere mihi.
Sicut in auricomis pendentia plurimus hortis
Pervigil obſervat non ſua poma draco.
Hinc me ſollicitum torquent ſuper omnia curæ,
Hinc requies animo non datur ulla meo.
Quærere quæ nequeo, ſemper retinere laboro,
Et retinens ſemper, nil tenuiſſe puto.
Stat dubius tremulusq; ſenex, ſemperq; malorum
Credulus, & ſtultus quæ facit ipſe, timet.
Laudat præteritos, præſentes deſpicit annos,
Hoc tantum rectum, quod ſapit ipſe, putat.
Se ſolum doctum, ſe judicat eſſe peritum,
Et quod ſit ſapiens, deſipit inde magis.
Multa licet nobis referens, eademq; revolvens
Horret, & alloquium conſpuit ipſe ſuum.
Deficit auditor, non deficit ipſe loquendo,
O ſola fortes garrulitate ſenes.
Omnia nequicquam clamoſis vocibus implet,
Nil ſatis eſt, horret, quæ placuere modo.
Arridet de ſe ridentibus, ac ſibi plaudens
Incipit opprobrio lætior eſſe ſuo.
Hæ ſunt primitiæ mortis, his partibus ætas
Defluit, & pigris greßibus ima petit.

Digitized by Google

Non habitus, non ipſe color, non greſſus euntis,
Non ſpecies eadem, quæ fuit antè, manet.
Labitur ex humeris demiſſo corpore veſtis,
Quæq; brevis fuerat, jam modò longa mihi eſt.
Contrahimur miroq; modo decreſcimus ipſi,
Diminui noſtri corporis oſſa putes.
Nec cœlum ſpectare licet, ſed prona ſenectus,
Terram, à qua genita eſt, & reditura videt.
Fitq; tripes, prorſus quadrupes, ut parvulus in-
Et per ſordentē flebile ſerpit humum. (fans,
Ortus cuncta ſuos repetunt, matremq; requirūt,
Et redit ad nihilum, quod fuit ante nihil.
Hinc eſt, quod baculo incumbens ruitura ſenectus
Aſſiduo pigram verbere pulſat humum.
Et numeroſa movens certo veſtigia paſſu.
Talia rugato creditur ore loqui.
Suſcipe me genitrix, nati miſerere laborum,
Membra velis gremio feſſa fovere tuo.
Horrent me pueri, nequeo velut ante videri,
Horrendos partus cur ſinis eſſe tuos?
Nil mihi cum ſuperis, explevi munera vitæ,
Redde precor patrio mortua membra ſolo.
Quid miſeros variis prodeſt ſuſpendere pœnis?
Non eſt materni pectoris iſta pati.
His dictis trunco titubantes ſubſtinet artus,
Neglecti repetens ſtramina dura tori.
Quo poſtquam jacuit, miſero quid funere differt?
Heu tantum attriti corporis oſſa vides.
Quumq; magis jaceam, ſemper vivamq; jacendo,
Quis ſub vitali me putet eſſe loco?
Jam pœna eſt totum, quod vivimus, urimur æſtu,
Officiunt nebulæ, frigus & aura nocet.

Digitized by Google

Ros lædit, modicoq́ etiam corrumpimur imbre,
Veris & autumni lædit amœna dies.
Hinc miſerum ſcabies, hinc tuſsis anhela fatigat,
Continuos gemitus ægra ſenectus habet.
Hos ſuperaſſe rear? quibus eſt ſpirabilis aër,
Et lux, qua regimur, redditur ipſa gravis.
Ipſe etiam cunctis requies gratiſsima ſomnus
Abvolat, & ſera vix mihi nocte redit.
Vel ſi laſſatos unquam dignabitur artus
Turbidus in quantis horret imaginibus?
Mollia fulcra tori duris ſunt cotibus æqua
Parva licet, magnum pallia pondus habent.
Cogor per mediam turbatus ſurgere noctem
Multaq́, ne patiar deteriora, pati.
Vincimur infirmi defectu corporis, & qua
Noluero infœlix hac ego parte trahor.
Omnia naturæ ſolvuntur viſcera noſtræ
Et tam præclarum quod male mutat opus.
His veniens onerata malis inopina ſenectus.
Cedere ponderibus ſe docet ipſa ſuis.
Ergo quis has cupiat per longum ducere pœnas?
Paulatimq́ anima deficiente mori?
Morte mori melius, quàm vitam ducere mortis,
Et ſenſus membris ſic ſepelire ſuis.
Non queror heu longi quod totum ſoluitis anni,
Improba naturæ dicere iura nefas.
Deficiunt validi longæuo tempore tauri,
Et quondam pulcher, qui modo turpis equus.
Fracta diu rapidi compeſcitur ira Leonis,
Lentaq́ per ſenium Caſpia tigris erit.
Ipſa etiam veniens conſumet ſaxa vetuſtas,
Et nullum eſt quod non tempore cedat opus.

Sed mihi venturos melius prævertere caſus.
Atq; infelices anticipare dies.
Pœna minor, certam ſubito perferre ruinam,
Quod timeas, gravius ſubſtinuiſſe diu.
At quos fert alios quis poßit dicere caſus?
Hos quoq; difficile eſt commemoraſſe ſeni.
Iurgia, contemptus, violentaq; damna ſecuntur
Nec quiſquam ex tantis præbet amicus opem.
Ipſi me pueri, atq; ipſæ ſine lite puellæ,
Turpe putant dominum iam vocitare ſuum.
Irrident greſſus, irrident deniq; vultum.
Et tremulum quondam quod timuere caput
Quumq; nihil videam, tamẽ hoc ſpectare licebit,
Vt gravior miſero pœna ſit iſta mihi.
Fœlix qui meruit tranquillam ducere vitam,
Et lætos ſtabili claudere fine dies,
Dura ſatis miſeris memoratiō priſca bonorum.
Et gravius ſummo culmine miſſa ruunt.

ELEGIA II.

En dilecta mihi nimium formoſa Lycoris
Cum qua mens eadem, res fuit vna mihi.
Poſt multos quibus indiviſi viximus annos
Reſpuit amplexus heu ſtupefacta meos.
Jamq; alios juvenes aliosq; requirit amores,
Me vocat imbellem decrepitumq; ſenem.
Nec meminiſſe volet tranſactæ dulcia vitæ,
Nec quod me potius reddidit ipſa ſenem.
Imo etiam cauſas ingrata ac perfida fingit,
Vt ſpretus vicio iudicer eſſe meo.
Hæc me præteriens quum dudum forte videret
Expuit, obductis veſtibus ora tegens,

Hunc ego dilexi? meq; hic complexus amavit?
Huic ego ſæpe (nefas) oſcula blanda dedi?
Nauſeat, & priſcum vomitu ceu fundat amorem
Imponit capiti plurima dira meo.
Heu quid longa dies nunc affert? ut ſibi quiſquam
Quondam dilectum prodere turpe putet.
Nonne fuit melius, tali me tempore fungi,
Quo nulli merito deſpiciendus eram,
Quam, poſtquam periit quicquid fuit ante decoris,
Extinctum meritis vivere criminibus.
Jam nihil eſt totum quod viximus, omnia ſecum
Tempus præteriens, horaq; ſumma trahit.
At mea jam nivei circumdant tempora cani
Et iam ceruleus inficit ora color.
Præſtat adhuc, nimiumq; ſibi ſpecioſa videtur.
Atq; annos mecum deſpicit illa ſuos,
Et fateor primæ retinet monumenta figuræ
Atq; inter cineres condita flamma manet.
Ut video, pulchris etiam vos parcitis anni,
Nec veteris formæ gratia tota perit.
Relliquiis veterum juvenes paſcuntur amorum
Sed ſi quid nunc eſt quod, fuit ante, placet.
Ante oculos ſtatuunt primævi temporis actus,
Atq; in præteritum luxuriantur opus,
Et quia nos totus membrorum deſerit uſus,
Nullos amplexus quos memoretur habet.
Sed miſeris ſolus ſupereſt poſt omnia luctus.
Quot bona tunc habui, tot modo damna fleo.
Ergo velut pecudum præſentia ſola manebunt?
Nil de tranſactis quod memoretur erit?
Quum fugiant & bruta novos animalia campos,
Ac repetant celeres paſcua nota greges.

Digitized by Google

Sub qua decubuit requieſcens diligat vmbram
Taurus, & ammiſſum quærat ovile pecus,
Dulcius in ſolitis cantet Philomela rubetis,
Sitq́ ſuum rapidis dulce cubile feris
Tu tantum bene nota tibi atq́ expertarelinquis.
Hoſpicia? & potius non manifeſta petis?
Nonne placet melius certis confidere rebus?
Eventus varios res nova ſemper habet.
Sum grandævus ego, nec tu minus alba capillis
Par ætas animos conciliare ſolet.
Si modo non poſſum, quondam potuiſſe memento
Sit ſatis ut placeam, me placuiſſe prius,
Permanet in validis reverentia priſca colonis,
Quod fuit in vetulo milite, miles amat.
Ruſticus expertum dſlet ceſſiſſe juvencum,
Cum quo conſenuit miles honorat equum.
Nec me adeo primis ſpoliavit floribus ætas,
En facio verſus & mea dicta cano.
Sit gravitas ſitq́ ipſa tibi veneranda ſenectus.
Sit quod te noſti vivere velle diu.
Quis ſuam in alterius condemnet crimine vitam?
Et quo prætendit claudere certet iter?
Dicere ſi fratrem, ſeu dedignaris amicum.
Dic patrem, affectum nomen vtrumq́ tenet.
Vincat honor luxum, pietas ſuccedat amori,
Plus ratio quamvis cæca valere ſolet,
His lachrymis, longos quantū fas flevimus annos,
Eſt grave quod doleat commemorare diu.

ELEGIA III.

Nunc operepreciū eſt quadā memorare iuventa,
Atq́ ſenectutis pauca referre mea.

Quo lector mentem rerum vertigine fractam
Erigat, & mœſtum noſcere curet opus.
Captus amore tuo demens Aquilina ferebar.
Pallidus & triſtis captus amore tuo.
Nondũ quid ſit amor vel quid Venus ignea norã
Torquebar potius ruſticitate mea.
Nec minus illa mea percuſſa à cuſpide flagrans,
Errabat tota non capienda domo.
Carmina pulſa procul, nimium dilecta jacebant,
Solus amor cordi curáq; ſemper erat.
Nec reperire viam qua cæcum paſceret ignem
Docta, nec alternis reddere verba notis
Tantum in conſpectu ſtudio perſtabat inani,
Anxia vel ſolo lumina corde fovens
Me pædagogus adit, illam triſtiſsima mater
Servabat, tanti pœna ſecunda mali.
Prænſabantq; oculos nutusq; per omnia noſtros
Quiq; ſolet mentis ducere ſigna color.
Dum licuit, votum tacite compreſsimus ambo.
Et varia dulces teximus arte dolos.
At poſtquam teneram rupit verecundia frontem.
Nec valuit penitus flamma recepta tegi.
Mox captare dolos, & tempora cepimus ambo
Atq; ſuperciliis luminibusq; loqui.
Fallere ſollicitos, ſuſpenſos ponere greſſus,
Et tota nullo currere nocte ſono.
Nec longo, genitrix furtivum ſenſit amorem,
Et medicare parens vulnera vulneribus
Increpitat, cæditq; ignes & pectore creſcunt
Vt ſolet adiecto creſcere flamma rogo.
Concipiunt geminum flagrantia corda timorem,
Et ſic permixto ſecuit amore dolor.

Digitized by Google

Tunc me viſceribus perterrita quærit anhelis
Emptum ſuppliciis quem putat eſſe ſuis.
Nec memorare putet turpesq; revolvere verſus
Imo etiam gaudens imputat illa mihi.
Pro te ſuſceptos juvat, inquit ferre labores.
Tu precium tanti dulce cruoris eris.
Sit modo certa fides atq; inconcuſſa voluptas,
Quæ nihil imminuit paſsio, nulla fuit,
His egomet ſtimulis angebar ſemper, & ardens
Languebam, nec ſpes vlla ſalutis erat.
Prodere non auſus carpebar vulnere cæco
Sed ſtupor & macies vocis habebat opus
Hic mihi magnarum ſcrutator maxime rerum
Solus Boëthi fers miſeratus opem.
Nam quum me curis intentum ſæpe videres
Nec poſſes cauſam noſcere triſtitiæ
Tandem proſpiciens tali me peſte teneri.
Mitibus alloquiis, pandere clauſa jubes,
Dicito & unde novo correptus carperis igne?
Dic precor, & dicti ſume doloris opem.
Non intellecti nulla eſt curatio morbi,
Vt magis incluſis ignibus antra fremunt,
Dum pudor eſt tam fœda loqui, viciumq; fateri.
Agnovit tanti conſcia lingua mali.
Mox ait, occultæ ſatis eſt res prodita cauſæ,
Pone metum, veniam vis tibi tanta dabit,
Proſtratus pedibus verecunda ſilentia rupi.
Cum lachrymis referens ordine cuncta ſuo.
Fare (ait) ut placidæ potiaris munere formæ?
Reſponde, pietas talia velle fugit. (ptas
Solvitur in riſum, exclamans prout mira volu-
Caſtus amor Veneris dicito quando fuit?

Digitized by Google

Parcere dilectæ juvenis deſiſte puellæ,
Impius huic fueris, ſi pius eſſe voles,
Unguibus & morſu teneri paſcuntur amores.
Vulnera non refugit res magis apta plagæ.
Interea donis permulcet corda parentum.
Et precio faciles in mea vota trahit.
Auri cæcus amor nativum vincit amorem.
Ceperunt natæ crimen amare ſuæ.
Dant viciis furiſq; locum, dant jungere dextras,
Et totum ludo concelebrare diem.
Permiſſum fit vile nefas, fit languidus ardor,
Vicerunt morbum languida corda ſuum.
Illa nihil quæſita videns procedere, cauſam
Odit, & illæſo corpore triſtis abit.
Projeci vanas ſanato pectore curas,
Et ſubito didici quam miſer ante fui,
Salve ſancta inquam ſemperq; intacta maneto
Virginitas, per me plena pudoris eris
Quæ poſtquam perlata viro ſunt omnia tuto
Meq; videt fluctus exuperaſſe meos,
Macte inquit juvenis proprii dominator amoris,
Ende contemptu ſume trophæa tuo.
Arma tibi Veneris, cedantq; cupidinis arcus,
Cedat & armipotens ipſa Minerva tibi.
Si tibi peccandi ſtudium permiſſa poteſtas.
Abſtulit, atq; ipſum talia velle fugit.
Ingrati triſtes pariter diſceſſimus ambo,
Diſſidii ratio vita pudica fuit.

ELEGIA IV.

Reſtat adhuc alios turpeſq; revolvere caſus
Digitized by Google
Atq; aliquo molli paſcere corda joco.

Conveniunt etenim delira ignava ſenectæ
Aptaq; ſunt operi carmina vana meo.
Sic vicibus variis, alternis volvimur annis
Et muta magis tempora grata mihi.
Virgo fuit ſpecies dederat cui candida nomen
Candida diverſis ſat bene compta comis,
Huic ego per totum vidi ſplendentia corpus
Cymbala multiplices edere pulſa ſonos,
Nunc niveis digitis nunc pulſans pectine chordas,
Arguto quicquid murmure dulce loqui.
Hanc ego ſaltantem ſubito correptus amavi.
Et cepi tacitus vulnera grata pati.
Sic me diverſis tractum de partibus, vna
Carpebat variis pulchra puella modis.
Singula viſa ſemel ſemper memorare libebat;
Hærebatq; animo nocte dieq; meo.
Sæpe velut viſo lætabar imagine formæ
Et procul abſenti voce manuq; fui,
Sæpe velut præſens fuerit, mecum ipſe loquebar
Cantabam dulces quos ſolet illa modos,
O quoties demens, quoties ſine mente putabar
Nec puto fallebar, nec bene ſanus eram.
Atq; aliquis, cui cæca foret bene nota voluptas,
Cantat cantantem, MAXIMIANVS amat.
Certa difficile eſt abſcondere pectoris æſtus,
Panditur & clauſo ſæpius ore furor.
Nam ſubito inficiens vultum, pallorq;, ruborq;
Interdum certe vocis habebat opus.
Nec minus ipſa meas prodebant ſomnia curas,
Somnia ſecreti non bene fida mei.
Nam quum ſopitos premerent oblivia ſenſus,
Confeſſa eſt facinus conſcia lingua ſuum.

Can-

Candida clamabam propera, cur candida ceſſas?
Nox abit, & furtis lux inimica venit.
Proximus ut genitor mecum comitatus amatæ
Virginis, in gelida forte jacebat humo
Illius ad nomen turbatos excitat actus.
Exilit, & natam credit adeſſe ſuam.
Omnia colluſtrans, toto me corde ſolutum
Proſpicit afflantem nec meminiſſe mei,
Vana putas? an vera ſopor ludibria iactat?
Et te verus (ait) pectoru ardor habet?
Credo equidem aſſuetas animo remeare figuras.
Et fallax ſtudium ludit imago ſuum.
Stat tamen attonitus, perplexáq; murmura ca-
Et tacitis precibus dicere plura rogat. (ptat,
Sic ego qui cunctis ſanctæ gravitatis habebar
Proditus indicio ſum miſer ipſe meo.
Et nunc infœlix tota eſt ſine crimine vita,
Et peccare ſenem non potuiſſe pudet,
Deſerimur viciis, fugit indignata voluptas,
Et quod non poſſum, non potuiſſe juvat,
Hoc etiam meminiſſe licet, quod ſerior ætas
Intulit, & gemitus quos mihi læta dedit,
Has ſed quis poßit naturæ aſtringere partes?
Gnarus & ut ſapiens noxia ſæpe velit?
Interdum rapimur viciis trahimurq́; volentes.
Et quæ non capiunt, pectora bruta volunt.

ELEGIA V.

Miſſus ad eoas legati munere functus.
Tranquillum cunctis nectere pacis opus.
Dum ſtudeo geminæ componere fœdera pacis,
Inveni cordis bella nephanda mei.

Digitized by Google

Hic me ſuſcipiens Etruſcæ gentis alumnum.
Involvit patriis Graja puella dolis.
Nam quum ſe noſtro captam ſimularet amore
Me potius vero fecit amore capi.
Pervigil ad noſtras adſtabat mane feneſtras,
Neſcio quid Græco murmure dulce canens.
Nunc aderãt lachrymę,gemitus,ſuſpiria,pallórq;
Et quicquid nullum fingere poſſe putes.
Sed velut afflicto nimium miſeratus amore
Efficior potius tunc miſerandus ego.
Hæc erat egregia forma, vultúsq; ſereni,
Grata, micans oculis,nec minus arte placens.
Docta loqui digitis, & carmina fingere doctam
Et reſponſuram ſollicitare lyram.
Illam Syreniis ſtupefactus cantibus æquans
Efficior demens alter Ulyſſes *ego.*
Et quia non poteram tantas evadere moles
Neſcius in ſcopulos & vada cæca feror.
Quid referam greſſus certa ſe lege moventes?
Suſpenſosq; novis paſſibus ire pedes?
Grande erat inflexos gradibus numerare capillos
Grande erat in niveo pulchra colore coma.
Urebant oculos duræ ſtantésq; papillæ
Et quas aſtringens clauderet una manus.
Ah quãtum mentem ſtomachi fulctura movebat,
Atq; ſub exhauſto pectore pingue femur.
Urebar teneros aſtringere fortiter artus.
Viſa per amplexus oſſa ſonare meos.
Grandia clamabat nimium me brachia lædunt.
Non tolerant pondus ſubdita membra tuum.
Dirigui, quantúsq; fuit calor oſſa reliquit.
Et nata eſt venia cauſa pudenda meæ.

Digitized by Google

Non ſic lac tenerum permixta coagula reddunt;
Nec liquidi mellis ſpuma liquoris erit.
Succubui fateor Graia tum neſtius artis
Succubui Thuſca ſimplicitate ſenex.
Qua defenſa ſuo, ſuperata eſt, Hectore Troia;
Unum non poterat fraus ſuperare ſenem?
Muneris invicti curam ſtudiumq; reliqui,
Deditus imperiis ſæve cupido tuis.
Nec memorare pudet tali me vulnere victum.
Subditus his flammis Jupiter ipſe fuit.
Sic mihi prima quidem nox affuit, & ſua ſolvit
Munera, grandævo vix ſubeunda viro.
Proxima deſtituit vires, vacuusq; receſſit
Ardor, & in Venerem ſegnis ut ante, fui.
Illa velut proprium repetens infeſta tributum
Inſtat, & increpitans, debita reddis? ait.
Sed nihil hic clamor, nil ſermo mitis agebat;
Quod natura negat, reddere nemo poteſt.
Erubui, ſtupuiq;, omnes verecundia motus
Abſtulit; & blandum terror ademit opus.
Contrectare manu cœpit frigentia membra;
Meq; etiam digitis ſollicitare ſuis.
Nil mihi torpenti, nil tactis profuit illis
Reſtitit in medio frigus ut ante foco
Quæ te crudelis rapuit mihi fœmina? dixit,
Cujus ab amplexu feſſus ad arma redis?
Jurabam curis animum mordacibus uri,
Nec poſſe ad luxum triſtia corda trahi.
Illa dolum credens, non falles inquit amorem.
Plurima cæcus amor lumina ſemper habet.
Quin potius placido, noli unquam parcere ludo.
Projice triſtitias, & renovere jocis.

Digitized by Google

Obtundunt ſiquidem curarum pondera ſenſus
Intermiſſa minus ſarcina pondus habet,
Tunc egomet toto nudatus corpore, lecto,
Effuſis lachrymis talia verba dedi.
Cogimur heu ſegnes crimen viciumq́; fateri
Ne meus extinctus forte putetur amor.
Me miſerum, cujus non eſt culpanda voluptas.
Judicor infœlix debilitatis ope.
En longo confecta ſitu tibi tradimus arma,
Arma miniſteriis quippe dicata tuis.
Fac quodcunq́; potes, nos cedimus, hoc tamen ipſe
Grandior eſt hoſtis quo minus ardet amor.
Protinus argivas admovit turpiter artes,
Meq́; cupit flammis vivificare ſuis.
Aſt ubi dilecti perſenſit funera membri
Nec velut expoſitum ſurgere vidit opus.
Erigitur, viduoq́; toro laniata recumbens,
Vocibus his luctus & ſua damna fovet.
Mentula feſtorum cultrix operoſa dierum
Quondam divitiæ. delitiæq́; meæ.
Quo te deiectam lachrymarum gurgite plangam?
Quæ de tot meritis carmina digna feram?
Tu mihi flagranti ſuccurrere ſæpe ſolebas
Atq́; æſtus animi ludificare mei.
Tu mihi per totam cuſtos gratiſſima noctem,
Conſors lœticiæ triſticiæq́; meæ.
Conſcia ſecreti ſemper fidiſſima noſtri,
Adſtans in noſtris pervigil obſequiis,
Quo tibi fervor abit? per quem feritura placebas,
Quo tibi criſtatum vulniferumq́; caput?
Nempe jaces nullo (ut quondam) ſuffuſa rubore,
[illegible] ida demiſſo vertice nempe jaces.

Nil tibi blanditiæ, nil dulcia carmina proſunt;
Non quicquid mentem ſollicitare ſolet.
Sic velut expoſito meritam te funere plango,
Occidit aſsiduo quod caret officio,
Hæc ego cum lachrymis deducta voce canentem
Irridens, dictis talibus increpui,
Dum defles noſtri langorem fœmina membri,
Oſtendis morbo te graviore premi.
Vade inquam fœlix ſemper fœlicibus apta,
Utere cognatis utere delicÿs,
Illa furens, credo quod neſcis perfide dixit,
Non fleo privatum, ſed generale Chaos,
Hæc genus humanū, pecudū, volucrum, ferarūq;
Et quicquid toto ſpirat in orbe, creat.
Hac ſine, diverſi nulla eſt concordia ſexus.
Hac ſine, conjugii gratia ſumma perit.
Hæc geminas tanto conſtringit fœdere mentes,
Unius ut faciat corporis eſſe duos.
Pulchra licet, precium (ſi deſit) fœmina perdit
Hæc ſi defuerit, vir quoq; turpis erit,
Hæc ſi gemma micans rutilum nō conterat aurū,
Æternum fallax mortiferúmq; genus.
Tecum pura fides, ſecretaq; certa loquuntur.
O vere precium, fructiferúmq; bonum.
Cedunt cuncta tibi, quódq; eſt ſublimius, ultro
Cedunt imperiis maxima quæq; tuis.
Nec ſubtracta gemunt, ſed ſe tibi ſubdere gaudēt
Vulnera ſunt iræ proſperiora tuæ.
Ipſa etiam totum moderans ſapientia mundum
Porrigit invictus ad tua jura manus.
Sternitur icta tuo votivo vulnere virgo,
Et percuſſa novo læta cruore jacet.

Flet tantum, ridetq́ſuum laniata dolorem,
Et percuſſori plaudit amica ſuo.
Non tibi ſemper iners, non mollis convenit actus
Mixtáq; ſunt ludis fortia facta tuis.
Nam nunc ingenio, magnis nunc viribus uſa.
Nunc his quæ juveni ſunt inimica malis,
Nam tibi pervigiles impendunt ſæpe dolores,
Imbres, inſidiæ, jurgia, damna, pudor,
Tu mihi ſæpe feri commendas corda tyranni,
Sanguineus per te Mars quóq; mitis erit.
Tu poſt extinctos debellatósq; gigantes
Excutis irato tela triſulca Jovi.
Tu cogis rapidas affectus diſcere tigres.
Per te blandus amans redditur ipſe leo.
Mira tibi virtus, mira eſt pacientia, victos
Diligis, & vinci, vincere ſæpe volens.
Quum ſuperata jaces, vires animosq; reſumis.
Atq; iterum vinci vincere rurſus amans.
Ira brevis, longa eſt pietas, recidiva voluptas,
Et quum poſſe perit, mens tamen una manet
Conticuit tandem longo ſaciata dolore.
Ac velut expletis deſinit exequiis.

ELEGIA VI.

Claude precor miſeras ætas verboſa querelas
Nunquid adhuc vicium vis reſerare tuum?
Sit ſatis indignum leviter tetigiſſe pudorem,
Contrectata diu crimina crimen habent,
Omnibus eſt eadem læti via, non tamen unus
Eſt vitæ cunctis exiciiq; modus.
Hac pueri atq; ſenes pariter juvenesq́; ferentur.
Hic par divitibus pauper egenus erit.

Ergo quod aſtrictum, quodq́ʒ eſt vitabile nulli,
Feſtino greſſu vincere præſtat iter.
Infœlix ceu iam defleto funere ſurgo,
Hac me defunctum vivere parte puto.

FINIS.

OFILII SERGIANI Elegia.

DE PVLICE.

Parve pulex, & amara lues, inimica puellis,
Carmine quo fungar in tua facta ferox?
Tu laceras corpus tenerum, duriſſime, morſu,
Cujus cum fuerit plena cruore cutis;
Emittis maculas nigro de corpore fuſcas,
Lævia membra quibus commaculata rigent.
Dumqʒ tuum lateri roſtrum defigis acutum,
Cogitur è ſomno ſurgere virgo gravi.
Perq́ʒ ſinus erras; tibi pervia cætera membra;
Is quocunq́ʒ placet, nil tibi ſæve latet.
Ah piget, & dicam, cum ſtrata puella recumbit,
Tu femur avellis, cruraq́ʒ aperta ſubis.
Auſus es interdum per membra libidinis ire,
Et turbare locis gaudia nata ſuis.
Diſpeream, niſi jam cupiam fieri meus hoſtis,
Promptior ut fieret ad mea vota via.
Si ſineret natura mihi, quo verterer in te,
Et quod ſum natus, poſſe redire daret:
Vel ſi carminibus poſſem mutarier ullis,
Carminibus fierem ad mea vota pulex:

Aut medicaminibus, ſi plus medicamina poſſunt,
Vellem naturæ jura novare meæ.
Carmina Medeæ, vel quid medicamina Circes
Contulerint, res eſt notificata ſatis.
His ego mutatus, ſic ſic mutabilis eſſem,
Hærerem in tunica margine virgineæ.
Inde means per crura mea ſub veſte puellæ,
Ad loca quæ vellem me cito ſurriperem.
Cumq́ illa dudum lædens, nil ipſe cubarem,
Donec de pulice rurſus homo fierem.
Sed ſi forte novis virgo perterrita monſtris
Exciret famulos ad mea vincla ſuos:
Aut tentata meis precibus ſuccumberet illa,
Aut mox ex homine verterer in pulicem.
Rurſus mutatus, fundensq́ precamina mille,
Afferrem cunctos in mea vota Deos,
Illam dum precibus, vel vi ſuperator haberem,
Et jam nil mallet, quàm ſibi me ſocium.

FINIS.

ALBI OVIDII JUVENTINI Elegia.

DE PHILOMELA.

Dulcis amica veni noctis ſolatia præſtans:
Inter aves etenim nulla tibi ſimilis.
Tu Philomela potes vocum diſcrimina mille,
Mille potes varios ipſa referre modos.
Nam quamvis aliæ volucres modulamina temptent,
Nulla poteſt modulis æquivalere tuis.

Digitized by Google

Inſuper eſt avium ſpatiis garrire diurnis.
  Tu cantare ſimul nocte dieq; potes.
Parus enim quāvis per noctem tinninet omnem ,
  At ſua vox nulli jure placere poteſt.
Dulce palara ſonat, quam dicunt nomine droſtā,
  Sed fugiente die nempe quieta ſilet.
Et merulus modulans tam pulchris concinit odis,
  Nocte ruente tamen carmina nulla canit.
Vere calente novos componit acredula cantus,
  Matutinali tempore tunc mitilans.
Dum turdus trutilat, ſturnus tunc piſitat ore;
  Sed quod mane canunt, veſpere non recolunt.
Cacabat hinc perdix, hinc gracitat improb. anſer
  Et caſtus turtur, atq; columba gemunt.
Plauſitat arborea clamans de fronde palumbes,
  In fluviisq; natans ſorte tetrinit anas.
Grus gruit, inq; glomis cycni prope flumina dren-
  Accipiter pipat, milvus hiansq; lipit. (ſant,
Cucurrire ſolet gallus, gallina gracillat,
  Pupillat pavo, trinſat hirundo vaga.
Dum clangunt aquilæ, vultur pulpare probatur,
  Et crocitat corvus, gracculus at frigulat.
Glotorat immenſo de turre ciconia roſtro,
  Peſſimus at paſſer triſtia flendo ripit.
Pſittacus humanus depromit voce loquellas,
  Atq; ſuo domino χαῖρε valeq; ſonat.
Pica loquax varias modulatur gutture voces,
  Scurriliter ſtrepitu quidquid & audit, ait.
Et cuculi cuculant, fritinnit rauca cicada,
  Bombilat ore legens munera mellis apes.
Bubulat horrendum ferali carmine bubo,
  Humano generi triſtia fata ferens.

Digitized by Google

Strix nocturna ſonans, & veſpertilio ſtridunt,
Noctua lucifuga cucubat in tenebris.
Aſt ululant ululæ lugubri voce canentes,
Inq; paludiferis butio bubit aquis.
Regulus atq; merops, & rubro pectore Progne,
Conſimili modulo Zinzilulare ſciunt.
Scribere me voces avium Philomela coëgit,
Quæ cantu cunctas exſuperat volucres.
Sed jam quadrupedum fari diſcrimina vocum,
Nemine cogente, nunc ego ſponte ſequar.
Tigrides indomitæ rancant, rugiuntq; leones,
Panther caurit amans, pardus hiando felit.
Dum lynces orcando fremunt, urſus ferus uncat;
Aſt lupus ipſe ululat, frendit agreſtis aper.
Et barrus barrit; cervi glocitant, & onagri;
Aſt taurus mugit, & celer hinnit equus.
Quirritat verres tardus; rudit, oncat aſellus,
Blacterat hinc aries, & pia balat ovis.
Sordida ſus paſcens ruris per gramina grunnit,
At miccire capris hirce petulce ſoles.
Ritè canis latrat, fallax vulpecula gannit,
Glaucitat & catulus, at lepores vagiunt.
Mus avidus mintrat, velox muſtellaq; dintrit,
Et grillus grillat, deſticat inde ſorex.
Ecce venenoſus ſerpendo ſibilat anguis,
Garrula limoſis rana coaxat aquis.
Has volucrum voces deſcripſi, quadrupedumq;,
Quas natura illis grata parens tribuit.
Sed cunctas ſpecies animantum nemo notavit,
Atq; ſonos, ideo dicere quis poterit.
Cuncta ſuo Domino depromunt munere laudum,
Seu ſemper ſileant, ſive ſonare queant.

FINIS. E 5 III-

JULII SPERATI V. C,
ELEGIA,
DE PHILOMELA.

Sum noctis ſocia, ſum cantus dulcis amica,
Nomen ab ambiguo ſic Filomela gero.
Tranſducit Filomela inſomnem carmine noctem;
Nos dormire facit, ſe vigilare docet.
Dic, Filomela, velis cur noctem vincere cantu?
Ne noceat ovis vis inimica meis.
Peſtem, dic age, num poteris depellére cantu?
Aut poſſim, aut nequeam, me vigilare juvat.
Vox, Filomela, tua citharas in carmine vincit,
Et ſuperat miris muſica flabra modis.
Vox, Filomela, tua curarum ſemina pellit,
Recreat & blandis anxia corda ſonis.
Vox, Filomela, tua cantus educere cogit,
Inde tui laudem ruſtica lingua canit.
Florea rura colis, herboſo ceſpite gaudes,
Frondibus arboreis pignora multa foves.
Cantibus ecce tuis recrepant arbuſta canoris,
Conſonat ipſa ſuis frondea ſilva comis.
Judice me cignus, & garrula cedat hirundo:
Cedat & illuſtri pſittacus ore tibi.
Nulla tuos unquam cantus imitabitur ales.
Murmure namq; tuo dulcia mella fluunt.
Dic ergo tremulos lingua vibrante ſuſurros,
Et ſuavi liquidum gutture pande melos.
Porrige dulciſonas adtentis auribus odas:
Nolo tacere velis, nolo tacere velis.

FINIS.

Digitized by Google

PAMPHILI MAURILIANI
PAMPHILUS,
Sive
DE ARTE AMANDI
Elegiæ.
I.

Pamphilus.

VUlneror & clauſumq́ fero ſub pectore telum,
Creſcit & aſſiduè plaga dolorq́ mihi.
Et ferientis adhuc non audeo dicere nomen,
Nec ſinit aſpectus plaga videre ſuos;
Unde futura meis majora pericula damnis.
Spero ſalutis opem, nec medicina dabit,
Quàm prius ipſe viam meliorem carpere poſſem.
Heu mihi quid faciam? non bene certus eo.
Conqueror, eſtq́ meæ juſtiſſima cauſa querelæ,
Cùm ſit conſilii copia nulla mihi.
Sed quia multa nocent, opus eſt mihi quærere multa.
Nam ſolet ars dominum ſæpe juvare ſuum.
Si mea plaga ſuos denudet in ordine vultus,
Quæ ſit, & unde venit, armaq́ quis poſuit;
Perdet & ipſa ſuæ fortaſſis ſpem medicinæ.
Spes reficit dominum, fallit & ipſa, ſuum.
Si teget ex toto faciem metusq́ doloris,
Et numquam quærat plaga ſalutis opem,
Forſitan eveniant pejora prioribus illis,
Et me continget protinus inde mori.
Æſtimo monſtrare melius. nam conditus ignis
Acrior, effuſus parcior eſſe ſolet.

Ergo loquar Veneri: Venus eſt mors vitaq́ʒ noſtra;
Ducanturq́ʒ ſuis omnia conſiliis.

II.

Pamphilus ad Venerem.

Vnica ſpes noſtræ vitæ Venus inclita ſalve,
Quæ facis imperio cuncta ſubire tuo:
Quam timet alta Ducum, ſervatq́ʒ potentia Regum,
Supplicibus votis tu pia parce meis.
Ne ſis dura mihi, precibus reſiſtere noli,
Sed fac, quod poſco. non ego magna peto.
Dixi, non magna, miſero mihi magna videntur,
Sed tamen iſta dare, non tibi difficile.
Annuo, dic tantum; jam jamq́ʒ beatus abibo,
Et ſic evenient proſpera cuncta mihi.
Eſt mihi vicina (vellem non eſſe) puella,
Quæ ſi mota foret, læderet ipſa minus.
Nam ſolet amoto plus lædere proximus ignis,
Sed modò ſubveniat gratia veſtra mihi.
Fertur vicinis formoſior omnibus illa,
Aut me fallit amor, omnibus aut ſupereſt.
Hæc mea trajecit certis præcordia telis,
Tela nec inde queo vi removere mea.
Vulneris inde mihi creſcit dolor omnibus horis
Decreſcitq́ʒ color visq́ʒ decorq́ʒ meus.
Hæc nulli dixi: hæc, quæ mihi vulnera fecit,
Juſtaq́ʒ cauſa fuit dicere, quæ vetuit.
Dicitur, & fateor, me nobilioribus ortam:
Huic ideo metuo dicere velle meum.
Fertur, & eſt verum, quòd me ſit ditior illa,
Et decus & dotes copia ſæpe petit.

Nec mihi ſunt dotes, decus ingens, copia grandis,
Sed quod habere queo, quæro labore meo.
Dum modò ſit dives cujuſdam nata bubulci,
Eligit ex mille quemlibet illa virum.
Illius in forma noſtros tremor occupat artus,
Et magis hoc votum dicere namq; vetat.
Concipit ingentes animos fiducia formæ,
Inq; modum dominam non ſinit ipſa ſuam.
Has de corde meo temptavi demere curas,
Sæpius obſtanti tunc magis arſit amor.
En mala noſtra vides; en noſtra pericula noſti,
Vnde precor precibus mitis adeſto meis.
Non mihi reſpondes, nec dictis porrigis aures,
Nec tua clara meum lumina lumen habent.
Aut tu tolle tuas de noſtro corde ſagittas,
Vulnera ſerva tuis, aut tua paſce modis.
Quis poſſet tanti curam tolerare laboris,
Quæ domino flenti præmia nulla daret?
Juſta precando tibi, mihi nam dolor anxius inſtat,
Aſſiduasq; preces concipit ille dolor.

III.

Venus ad Pamphilum.

Tunc Venus, hæc, inquit, labor improbus omnia vincit,
Quo licet & poteris tute labore frui:
Et monſtrare tuos animos nulli verearis,
Vix erit in mille quæ neget una tibi.
Quamq; precando petis, prius aſpera cuncta negabit,
Sed leve pondus habet illius aſperitas.

Digitized by Google

Nam

Nam jurando prius, quas venditor ipſe negavit,
Venales merces improbus emptor habet.
Nec mare tranſiſſet, pavidus ſi nauta fuiſſet,
Turgida cùm primum reſtitit unda rati.
Ergo tuis primum ſi non favet illa loquelis,
Arte vel officio fac tamen ut faveat.
Ars animos frangit, & firmas diruit urbes,
Arte cadunt turres, arte levatur onus.
Et piſcis liquidis deprehenditur arte ſub undis,
Et pedibus ſiccis per mare currit homo.
Rebus & in multis ars adjuvat officiumq;
Pauper ſæpe ſuo paſcitur ingenio.
Et quamvis juſta ſedatur Principis ira,
Servat & arte ſuum corpus opesq; reus.
Et gaudet locuples, qui flere ſolebat egenus;
Et modo vadit eques, qui ſolet ire pedes.
Quæ donare ſibi minimè valuere parentes,
Hæc exercenti jam dedit officium.
Officiumq; tuum primum ſi forte recuſet,
Tu ſervire tamen eſto paratus ei.
Hiis poteris minas ſuperare cauſantis amicæ,
Fiet amica tibi, quæ prius hoſtis erat.
In quibus eſſe ſcias, loca ſæpius ipſe frequenta;
Quæq; potes pulcris paſcere paſce locis.
Gaudia ſemper amat & ludicra verba juventus;
Et juvenum mentes hæc in amore trahunt:
Nec non ſemper ei lætis te vultibus offer,
Eſt cum lætitia pulcrior omnis homo.
Nec minimum taceas, nec verba ſuperflua dicas,
Reſpicit omnimode ſæpe puella virum.
Excitat & nutrit facundia dulcis amorem,
Et mulcens animos mitigat ipſa feros.

Si lotus eſt illi jocundus, viribus inſta;
Quod vix ſperaſti, mox dabit ipſa tibi.
Non ſinit interdum pudor illi promere votum,
Sed quod ipſa cupit, hoc magis ipſa negat.
Pulcrius eſſe putat vi perdere virginitatem,
Quàm dicat de me; Fac modo velle tuum.
Ac nimium caveas ſi ſit tibi parva ſupellex,
Neſciat eſſe ſuum pauperiemq; tuam.
Exiguo pulcram ducit ſolertia vitam,
Jocundoq; ſuas ore tegit lacrimas.
Quod non eſt, ſimulare potes dictis habituq;,
Maxima ſors nimio contigit ingenio.
Plurima mundus habet ſua, quæ vicinia neſcit,
De quibus apta ſibi plurima ferre potes.
Credo, quod interdum multis mendacia proſunt,
Et quandoq; nocet omnia vera loqui.
Et famulos famulasq; domus ſibi ſæpe loquentes
Allice colloquiis muneribusq; tuis.
Vt ſemper referant de te bona verba viciſsim,
Et paſcant dominam laudibus uſq; tuis.
Dum dubias dubio mentes in pectore verſat,
An faciat vel non neſcia velle tuum,
Tunc illam multo temptamine ſæpe fatiga,
Vt citius poſsis victor amore frui.
Pellitur huc animus hominis, vel pellitur illuc,
Sæpe labore gravi dum manet in dubio.
Et placeat vobis interpres fidus utriſque,
Qui cautè referat hoc, quod uterque cupit.
Æmula nam juvenum dijudicat acta ſenectus,
Et ſimul hos prohibet litigioſa loqui.
Incipe, ſpe melius dedit, & dabit omnia tempus,
Nec timor ullus erit, in quibus eſſe times.

Non tibi plus dicam, vinces ſtudioſus amicam,
Inceptumq́ꝫ viis mille patebit opus.

IV.

Pamphilus.

Incolomis leviter ergo ſolatia præbet,
Nec minus infirmus ſentit abeſſe malum.
Conſilio Veneris mihi non dolor alleviatur,
Sed meus in triſti pectore redit amor.
Hactenus auxilii ſpes omnis fuit in illa;
Spes modò diſceſſit, & manet ipſe dolor.
Quò miſer evadam? me nauta reliquit in undis,
Et portum quæro, nec reperire queo.
Sed modò quid faciam? mea mens non ſpectat ad illam;
Illi me noviter convenit ire loqui.

V.

Pamphilus viſa Galathea.

Quàm formoſa Deus! nudis venit illa capillis,
Quantus adeſſet ei nunc locus mihi loqui.
Sed dubito: tanti mihi nunc venere timores,
Nec mea mens mecum, nec mea verba manēt.
Nec mihi ſunt vires, trepidantq́ꝫ manusq́ꝫ pedesq́ꝫ;
Attonito nullus congruus eſt habitus.
Mentis in affectu ſibi dicere plura paravi,
Sed timor excuſſit dicere, quod volui.
Non ſum, qui fueram: vix me cognoſcere poſſum,
Nec bene vox ſequitur, ſed tamen mihi loquor.

Digitized by Google

VI.

Pamphilus ad Galatheam.

Vlterius mille mea neptis mille ſalutes,
Per me mandavit officiumq́ tibi.
Ne te cognoſcit niſi dictis nomine tantum,
Sed te, ſi locus eſt, ipſa videre cupit.
Illic me voluere mei retinere parentes,
De quibus electis nulla redundat ibi.
Hii mihi ſpondebant cum ſumma dote puellam,
Plura quoq; non eſt cura referre modo.
Omnia poſtpoſui: tu ſola mihi placuiſti:
Reſpueram pro te, quicquid in orbe manet.
Ludendo loquimur: loquitur ſic ſæpe juventus:
Verbula ficta jocis, jurgia nulla movent.
Sed modò dicamus cordis ſecreta viciſſim,
Dictáq; præter nos neſciat alter homo.
Demus & inde fidem fieri, ſic poſtea dicam;
Primitus incepi, primitus inde loquar.
Nos modò concordes debemus vera fateri:
Gratior in mundo te mihi nulla manet.
Vt te dilexi, jam ter pertranſiit annus,
Noſtra nec auſus eram dicere vota tibi.
Tempore non longo loquitur ſapientia ſurdo,
Nosq́; diu fruſtra non decet inde loqui.
Te conſtanter amo, modò plus tibi dicere nolo,
Donec tu dicas, quid placet inde tibi.

VII.

Galathea ad Pamphilum.

Sic multi multas multo temptamine fallunt,
Et multos fallit ingenioſus amor.

Digitized by Google

Infatuare tuo ſermone vel arte putaſti,
Quam falli veſtro non decet ingenio.
Quare tuis alias inceſtis moribus apta,
Quas tua falſa fides & dolus infatuent.

VIII.

Pamphilus ad Galatheam.

Sæpius impediunt juſtos peccata malorum,
Sic nocet alterius non mea culpa mihi.
Sed tamen auſcultet me gratia veſtra benignè;
Et liceat dominæ dicere pauca meæ.
En Dominum teſtor, teſtor quoq; Numina terræ;
Non loquor iſta tibi fraude vel ingenio.
Non manet in mundo te nunc mihi gratior ulla,
Carius & nullam mens animusq; videt.
Sed loquor in caſſum. Tua mens puerilis & ætas,
Quid nocet aut prodeſt, noſcere neſcit adhuc.
Junior antiqua quamvis ſit acutior ætas:
Nam cum multa ſenes, plura vident juvenes.
Et quamvis juvenis, fac ut cognoſcere poſſis,
Quis ſim, quæ mea res, quisve meus ſit amor.
Cunctarum rerum prudentia diſcitur uſu,
Vſus & ars docuit, quod ſapit omnis homo.
Ire, venire, loqui, nec non dare verba viciſſim,
Eſſe ſimul tantum deprecor ut liceat.
Non niſi colloquio cognoſcimus intima cordis,
Ipſa referre potes, quid placet inde tibi.

IX.

Galathea ad Pamphilum.

Ire, venire, loqui, tibi nec cuiquam prohibebo,
Quiſquis ubiq; vias ire viator habet.

Convenit, & honor eſt, ut det reſponſa petenti,
Et qualesq; videt, quæq; puella vocet.
Hoc concedo ſatis, vel tu, vel quilibet alter
Vt venias ſemper ſalvo jure meo.
Auſcultare licet, & reddere verba puellis,
Convenit iſta tamen ut moderanter agat.
Verbula ſi dederis ludendo, verbula reddam:
Sed ſi forte nocent, hæc tibi non patiar.
Nos ſimul eſſe petis; ſed ego ſimul eſſe recuſo;
Non decet in ſolo nos habitare loco.
Nam loca ſola nocent, infamia naſcitur inde:
Tutius ergo loquor, plebe vidente tibi.

X.

Pamphilus ad Galatheam.

Non mihi parva, non, ſed munera magna dediſti,
Nempe mihi tantum ſufficit alloquium.
His meritis dignas nequeo tibi reddere grates,
Æquari meritis non valet hoc meritum.
Sed fortaſſis adhuc venit tempusq; diesq;,
Quo ſe monſtrabit ſi quis amicus erit.
Ne tibi diſpliceat, non audeo dicere quicquam,
Quamvis te peterem pauca libenter adhuc:
Nos alternatim complexus, baſia tactus
Vt dare poſſimus, cum locus affuerit.

XII.

Galathea ad Pamphilum.

Quamvis illicitum complexus nutrit amorem,
Et fallunt dominam baſia ſæpe ſuam,
Hoc ſolum patiar; ſed tu nihil amplius addas.
Nam cuiquam ſine te talia non paterer.

Digitized by Google

Sed modo de templo veniunt utriq; parentes,
Et mihi, ne cauſer, convenit ire domum.
Tempora ſat venient, pariter quibus ambo loquemur,
Ac memor interea quiſq; ſit alterius.

XII.

Pamphilus.

Lætior in toto non eſt, nec fuit in orbe,
Figitur in ripis anchora noſtra ſuis.
Me ſubitò nimium Deus & natura beavit,
Nam dives redeo, qui miſer antè fui.
Illius non fruſtra ut ſim memor, ipſa rogavit,
Quam de mente mea non labor excutiet.
Non mecum ſentit, ut eam deſidero neſcit;
Sum velut ipſe fui, ſit memor ipſa mei.
Pluribus expedior, & adhuc me plura cohercent,
De quibus eſſe meum neſcio conſilium.
Si ſtudioſus eam verbisq; jocisq; frequentem,
Auferet aſſiduas garrula fama vias.
Firmet amicitiam ſi nulla frequentia noſtram,
Non bene firmus adhuc forſan abibit amor.
Vſu creſcit amor omnis, decreſcit abuſu,
Omnis & impaſtus attenuatur amor.
Perpetuo lignis creſcit creſcentibus ignis;
Detrahe ligna foco, protinus ignis abeſt.
Sollicitis curis tantis, tantisq; periclis
Detrahor in quantis neſcio mente modis.
Hac in re nullam video mihi proſperitatem,
Non habet & tutum mens mea propoſitum.
Obſtitit interdum factis fortuna virorum,
Propoſitumq; ſuo non ſinit eſſe loco.

Digitized by Google

Si multis nocuit, multos tamen ipſa beavit,
Vivit in hoc mundo taliter omnis homo.
Providet, & tribuit Deus, & labor omnia nobis;
Proficit abſq; Deo nullus in orbe labor.
Sic Deus ergo mei rector cuſtoſq; laboris
Omne gubernet opus, propoſitumq; meum.
Non méus interpres fuerit fraterq; nepoſq;,
Nam nullus leviter invenit ibi fidem.
Jura fidemq; nepos neſcit ſervare nepoti,
Nec frater fratri, cùm furor ille venit.
Cauſa puſilla nocet: ſapiens nocentia vitat.
Ergo nos aliam convenit ire viam.
Hîc prope degit anus ſubtilis & ingenioſa,
Artibus eſt Veneris apta miniſtra ſatis.
Poſtpoſitis curis ad eam veſtigia vertam,
Et ſibi conſilium notificabo meum.

XIII.

Pamphilus ad Anum.

Fama tuæ laudis nomenq; tuæ bonitatis
Cauſa miſerunt me tibi conſilii.
Quæ loquor, auſcultet pietas & gratia veſtra,
Alter & aſſenſu neſciat abſq; meo.
Diligo vicinam mihi quam noſti Galatheam,
Ipſa ſuis dictis me, niſi fallor, amat.
Non loquor ut vellem. nam mille pericula vito:
Quicquid in orbe nocet, ſollicitus timeo.
Ex minimo creſcit, & non citò flamma quieſcit,
Quamvis mentitur, creſcit eundo tamen.
Parva nocent miſeris: miſeros mala mille ſe-quuntur,
Reſq; laborq; meus ſæpe manet dubius.

Digitized by Google

En mala noſtra vides. tua vox eat inter utrumq;,
Deprecor ut noſtrum crimen eundo tegas.

XIV.

Anus ad Pamphilum.

Alter amat, quod amas; & quod petis, hoc petit alter,
Sed tamen aſſenſum non habet ille meum.
Eſt minus ille probus, & honeſto conjuge dignus,
Sed mihi diſplicuit, quod dare diſpoſuit.
Promiſit veteres cum pellicio mihi pelles,
Sed ſic vile meam munus ademit opem.
Si datur ad tempus, dat & aufert commoda munus,
Jus legesq; ſuo deſtruit ingenio.
Quam petis, ut credo, niſi per me nullus habebit:
Nam nimis imperio ſubjacet illa meo.
Inſuper ipſa ſui ſum dux & conſcia facti,
Sic facit illa meis omnia conſiliis.
Non loquor ipſa diu tibi, me premit altera cura,
Carpat quiſq; viam, & ſibi quærat opem.

XV.

Pamphilus ad Anum.

Hoc mihi præſtat opus, nec me premit altera cura,
Hanc mihi ſi dederis, omnia præſtiteris.
Convenit externos mercari ſæpe labores,
Emptus ut capiat præmia digna labor.
Nulla parte tuum fruſtrabor crede laborem,
Nunc quibus indigeo ſi mihi provideas.
Deprecor hoc unum, mercedis dic mihi nomen,
Et quodcumq; mihi dixeris ipſe dabo.

XVI.

Anus ad Pamphilum.

Plura volunt, & plura petunt, quibus inſtat ege-
ſtas,
Quantis indigeo, tanta referre pudet.
Divitias habui multas, dum floruit ætas,
Copia deceſſit, pluribus indigeo.
Hæc mea debilitas & ætas me expoliavit,
Commoda nulla facit arſq́; laborq́; mihi.
Si modo noſtra tibi prodeſſe juvamina ſentis,
Deprecor ut pateat hinc mihi veſtra domus.

XVII.

Pamphilus ad Anum.

Nunc tibi noſtra domus, & cætera noſta patebūt,
Sitq́; ſub imperio copia noſtra tuo.
Multum grata mihi ꝯmodo nos concordia junxit,
Pactaq́; ſollicitet inter utrumq́; fides.
Hinc precor ut vigilet ſolertia veſtra laborq́;
Et ratione ſua, rem bene provideat,
Principium finemq́; ſimul providentia ſpectat,
Rerum finis habet crimen & omne decus.
Verbi principium, verbi quoq; conſpice finem,
Vt melius poſſis præmeditata loqui.

XVIII.

Anus.

Hæc manet in villa nimium formoſa juventus,
Creſcit & in cunctis moribus ipſa bonis.
Non fuit in noſtro melior nec dulcior ævo,
Suſcipit ipſe meam tam bene pauperiem,

Digitized by Google

Præcellit cunctos omni bonitate coævos
Pamphilus, & laudibus ſocios exſuperat.
Eſt ſtulto ſtultus, eſt miti mitis & agnus:
Stultitiæ ſapiens jure reſiſtit homo.
Non manet hac tantæ pubes probitatis in urbe,
Quas acquirit opes, non vorat ingluvies.
Eſt nimis ille probus. bona nam fuit ejus origo.
Arbore de dulci dulcia poma cadunt.
Præmonſtrat ſignis prolem natura frequenter,
Sæpe ſolet filius ſimilis eſſe patri.

. . . .

Inſequitur leviter filia matris iter.
En juxta portam video ſtantem Galatheam,
Quæq; locuta fui, forſitan audierat.

XIX.

Anus ad Galatheam.

Hic non eſſe modo quemquam Galathea putavi,
Sed tamen ipſa minus vera locuta fui.
Pamphilus hac certè præ cunctis pollet in urbe,
Egregiè vitam providet ipſe ſuam.
Illi ſemper honor & laus & gloria creſcit,
Et meritò nullus invidet inde ſibi.
Eſt nimium locuples; ſed non tamen ipſe ſuperbit,
Illius & nullum copia habet animum.
Eſſet ut ille tuus vellem Galathea maritus,
Hæc eadem velles, rem ſi bene ſaperes.
Velle meum dixi, ſed non tamen ipſe rogavit,
Vos ſimul eſſe meum judicat arbitrium.
Et genus & probitas & forma decens utriuſque
Mecum concedunt vos ſimul eſſe duos.

Digitized by Google

Noſtra modò vacuis deducimus ocia verbis,
Res tamen interdum gaudia parva movet.
Ex minima magnus ſcintilla naſcitur ignis,
Et generat parvam grandia principium.
Mens mea concepit harum præcordia rerum,
Atq; loqui noſtris cœpimus inde jocis.
Sed ſi non in hiis mens animusq; movetur,
Si placet an potius diſplicet inde loqui?
Deprecor ut dicas; quod dixeris ipſa tacebo,
Si celare velis; ſive referre, loquar.
Dic mihi, ne dubites, ſtultum depone pudorem,
Hic venit à ſola ruſticitate pudor.

XX.

Galathea ad Anum.

Nō mihi ruſticitas, ſtultus mihi nec pudor obſtat,
Sermo ſed admiror quo venit iſte tuus.
Nunc miror ſi te tranſmiſit Carinus, an ille
Pamphilus, an quærit præmia ſermo tuus.

XXI.

Anus ad Galatheam.

Semper iniquorum ſcelus impedit acta bonorum,
Pœnas ſæpe luit quas homo non meruit.
Quamvis pauper ego, non ſic mihi præmia quæro.
Nam ſibi ſufficiens eſt mea pauperies.
Primitus, ut dixi, mea mens conceperat iſtud,
Alter non novit, conſcius omnis abeſt.
Hoc ſatis eſſe poteſt, ſi vos ſimul ambo velitis,
Hæc & uterq; poteſt abſq; pudore pati.
Nobilis ille quidem, nec nobilis es minus ipſa,
Eſt utriuſq; ſatis nota propago mihi.

Digitized by Google

Pulchrior his ſociis, ſociabus pulcrior ipſa es,
Cum ſpecie ſpecies convenit atq; placet.
Hæc vtrumq; probat, par copia parq; juventus,
Famaq; ſi ſciret ipſa probaret idem.
Cum pares eſtis, ſociari jure poteſtis,
Deficit in vobis nil niſi ſolus amor.

XXII.

Galathea ad Anum.

Quod mihi nunc dicis, dici deberet amicis,
Aſſenſu quorum conjugis opto thorum.
Hos prius alloquere vel tu, vel Pamphilus ipſe,
Res erit ad libitum pulcrior ipſa ſuum.

XXIII.

Anus ad Galatheam.

Convenit ut tuo ſit conſenſu ſine parentum,
Sed tuus interea militet ignis ei.
Exercet corda juvenum Venus ingenioſa,
Quiſq; per hoc ſtudium colligit ingenium.
Incitat hæc animos, dat largis, odit avaros,
Lætitiam ſequitur, triſtitiamq; fugit.
Narrabit nullus, Veneris quantum valet uſus;
Huic niſi parueris, ruſtica ſemper eris.

XXIV.

Galathea ad Anum.

Per Veneris amorem virgo cito perdit honorem,
Ingens ille furor neſcit habere modum.
Non leve pondus habēt violenta Cupidinis arma,
His male ſeduci quæq; puella timet.
Sæpe meretricas incuſat fama puellas,
Omnia nec ceſſat carpere livor edax.

Digitized by Google

Quod petis, annuerem, niſi famæ verba timerem,
Quæ magis in tali crimine lumen habent.

XXV.

Anus ad Galatheam.

Rebus in his major nimis eſt infamia veri;
Sed præſtat verum, & minor ipſa cadit.
Murmura rumoris curaſq́; levabo timoris,
Vos veſtroſq́; jocos calliditate tegam.
Nam Veneris mores cognoſcimur ejus & artes,
Et ſic tuta meo res erit ingenio.
Illum cùm videam mihi conſule quid ſibi dicam
Quæ mihi prædicis tutius ego loquar.

XXVI.

Galathea ad Anum.

Ceſſo velle meum tibi ſecretumq́; fateri,
Nam dolus inſidias tendit ubiq́; ſuas.
Sed tamen expertor quæ ſit tua lingua fideſq́;
Et qua parte tuum me trahit ingenium.
Pamphilus ipſe meum petiit ſibi nuper amorem,
Noſq́; ſibi vera junxit amicitia.
Sed nimis hæc cela, ſoli tibi poſco revela,
Non tamen incipies hac ratione loqui.
Illum ſæpe prius multo temptamine tempta,
Quod dixi, dicet forſitan ille tibi.
Hic modo diſcrete fac, ut precor, omnia caute,
Et tibi quæ dicet, cras mihi cuncta refer.

XXVII.

Anus ad Pamphilum.

Multotiens hominum fruſtratur ſpeſq́; laborq́;
Non res ut volumus, Pamphile, noſtra venit.

Digitized by Google

Tardius ad veſtrum nimis advocor ipſa juvamen;
Nam prodeſſe nequit arsq; laborq; meus.
Res ut teſtatur, Galathea tæda paratur,
Miror enim cultus quos parat illa domus
Sunt centum cauſæ, quibus iſtud ſuſpicor eſſe,
Sed tamen ipſe ſuus celat uterq; parens.
Hoc, tibi quod dico, ſapientius accipe quæſo:
Mitte quod eſſe nequit, quære quod eſſe poteſt.

XXVIII.

Pamphilus ad Anum.

Heu mihi, quò fugiunt vires & corporis uſus,
Mens mea non ſervit nec mea lingua mihi.
Heu miſer, in noſtris nulla eſt potentia membris,
Horum quodq; ſuum denegat officium.
Spes mea me læſit, per ſpem Venus oſſibus hæſit;
Spes procul abſceſſit, nec tamen ignis abeſt.
Nulla parte ſuos cernunt mea carbaſa portus,
Nec ſentire poteſt anchora noſtra ſolum.
Neſcit noſtra ſuam quo quærat cura ſalutem,
Fert Galathea mei ſola doloris opem.
Cauſa mea mortis hæc eſt & cauſa ſalutis;
Qua ſi non potiar, jam placet ut moriar.

XXIX.

Anus ad Pamphilum.

Stulte, quid inſanis, cur te dolor urget inanis
Acquiret gemitus præmia nulla tuus.
Temperet ergo tuum modus & prudentia fletum,
Terge tuas lacrimas, proſpice quid facias.
Concipit ingentes animos inanis egeſtas,
Et facit hæc hominem ſæpius artificem.

Ars hominum magnum ſuperat perſæpe periclū,
Te labor arsq; vigil forte juvabit adhuc.

XXX.

Pamphilus ad Anum.

Quis labor heu tantum poſſet ſuperare periclum,
Spes mea tota perit, imminet hora thori.
Nec vivente ſuo mihi nuberet illa marito,
Crimen legitimos eſt violare thoros.
Ad nihilum prorſus meus eſt labor iſte redactus.
Et mea curo ſua perdidit artis opem.
Nulla dies mihi dabit nec nox ulla quietem,
Semper me miſerum vexat inanis amor.

XXXI.

Anus ad Pamphilum.

Sæpius exigua labor ingens labitur hora,
Ingens ex parvis imbribus aura cadit.
Eſtq; ſerena dies poſt longos gratior imbres,
Et poſt triſte malum gratior ipſa ſalus.
Tu modo reſpira, dolor abſit, fletus & ira,
Sunt prope magna tuæ gaudia triſtitiæ.
Noſtrum velle tua nobis faciet Galathea,
Omninò noſtris ſe dedit imperiis.

XXXII.

Pamphilus ad Anum.

Ut pia promiſſis matrum ſolertia vanis
Plorantes pueros admonet ut taceant:
Sic me fortaſſis falſo ſolamine paſſis,
Ut dolor à triſti pectore triſtis eat.

XXXIII.

Anus ad Pamphilum.

Accipitris volucer dilapſus ab ungue feroci
Anceps in cunctis hunc timet eſſe locis.
Hic me nulla tibi mentiri cauſa coegit,
Omnia quæ dixi vera ſic invenies.

XXXIIII.

Pamphilus ad Anum.

Si mihi vera refers, & verum retulit illa,
Tunc dolor à noſtris cordibus omnis abeſt.
Sed ſua non ſemper ſequitur primordia finis,
Inceptumq; caſus ſæpe retardat opus.

XXXV.

Anus ad Pamphilum.

Curſus fatorum neſcit mens ulla virorum,
Solius eſt proprium ſcire futura Dei.
Deſperare nocet, votum labor improbus implet,
Arsq; vigil magnus ſæpe miniſtrat opes.

XXXVI.

Pamphilus ad Anum.

Forte ſub ambigua ſpes & labor omnis habetur,
Creſcit principio ſpes tamen ipſa bono.
Noſcere nónne potes hac ſi me diligat an non?
Vix celare poteſt intima cordis amor.

XXXVII.

Anus ad Pamphilum.

Cum loquor, eius adeſt mihi mens animusq; loquenti,
Dulciter omne meum ſuſcipit eloquium.
Curvat & ipſa ſuos circa mea colla lacertos,
A te miſſa ſibi dicere verba rogat.

Digitized by Google

Dumq́; tuum nomen rationis nominat ordo,
Nominis ammonitu ſit ſtupefacta tui.
Dum verbis fruimur, pallet rubetq́; frequenter,
Feſcaq́; ſi taceo me monet ipſa loqui.
Hiis aliisq; modis cognoſcimus ejus amorem,
Nec negat ipſa mihi quin ſit amica tibi.

XXXVIII.

Pamphilus ad Anum.

Nunc mea ſpes per te ſucceſſus ſentit adeſſe,
Creſcit & auxilio gloria noſtra tuo.
Improbus interdum dubius labor expedit actus,
Magnaq́; tollit iners commoda ſegnicies.
Quantumcumq́; potes cœptum proſperare labora,
Nec mora ſegnis opem differat ulla tuam.

XXXIX.

Anus ad Pamphilum.

Vt reor ecce tibi per me tua vota parantur,
Sed promiſſa mihi res manet in dubio.
Eſt mens noſtra ſuis contraria ſape loquelis,
Nec factis ſequimur omnia qua loquimur.
Irrita venales fallunt promiſſa labores,
Cum felix fueris, nil mihi forte dabis.

XL.

Pamphilus ad Anum.

Eſt ſcelus immenſum, ſi dives fallit egenum,
Te quoq́; ſi fallam, gloria nulla mihi eſt.
*Nec te nec quemquā mea vox * prodidit unquam,*
Famaq́; ſi quaras crimine noſtra vacat.
Eſtq́; fides noſtri conſtans fiducia pacti,
Qua tibi tuta facit omnia qua metuis.

Digitized by Google

XLI.

Anus ad Pamphilum.

Plebs timet ingenio ſuperari ſæpe potentium,
Iura cadunt cauſa pauperis exigua.

. . . .

Quæ tegitur ſceleris artibus innumeris.
Nulla fortuna tamen poteſt obſiſtere factis;
Dat mare ſæpe metus, nulla pericla tamen.
Quæ promiſiſti fortunæ munera mando,
Sed quæ promiſi dona tamen capies.
Convenit ut vadam nunc exorare puellam,
Si placet ut veniat huc tibi ſola loqui.
Si vos noſtra ſimul ſolertia collocat ambos,
Et locus affuerit, te precor eſſe virum.
Mens animusq; manet inconſtãs ſemper amãtis,
Parvaq; forte tibi quod petis hora dabit.

XLII.

Anus ad Galatheam.

Occultare nequit ſua lumina maximus ignis,
Occultare poteſt nec ſua vota Venus.
Omnis veſtrarum mihi rerum panditur ordo,
Quarum mente memor vix teneo lacrimas.
Nunc cognoſco ſatis quod non ſapienter amatis,
Res eſt ipſa ſuæ nuncia ſtultitiæ.
Pallida furtivum facies manifeſtat amorem,
Atq; labore gravi tabida facta cutis.
Pamphilus ille miſer, miſer eſt ille omnibus horis,
*Quam male duritiam * capit iſte tuam.*
Nocte dieſq; ſatis pueriliter ille laborat.
Nam ſibi nulla refert præmia durus ager.

Quis niſi mentis inops ſua ſemina mandet arenæ,
Cùm mercede labor gravior eſſe ſolet?
Hunc tua forma prius, & poſt tua lingua fefellit,
Hisq́ue duobus eum vulnerat acer amor.
Ut promiſiſti, ſibi non medicina fuiſti,
Sæpe ſibi gravior affuit ille dolor.
Nunc ope plaga caret, dolor eius ſemper habũdat,
Et licet ipſa taces, te quoque flamma gravat.
Plaga malum certe parit inconfeſſa necemq́ue,
Vos quoque tectus amor ſæpe gravare ſolet.
Ergo quid inde velis celeri circumſpice mente,
Et tibi ſunt animi nuncia verba tui.

XLIII.

Galathea ad Anum.

Deprimit igniferis Venus improba ſæpius armis,
Et mihi vim faciens ſemper amare jubet.
Me jubet econtrà metus & pudor eſſe pudicam,
Hisq́ue coacta meum neſcio conſilium.

XLIV.

Anus ad Galatheam.

Sit timor iſte procul: ibi non eſt cauſa timoris:
His rebus nunquam proditor ullus erit.
Ut tuus exiſtat coniunx modò Pamphilus optat,
Nititur omnis ad hac cura laborq́ue ſuus.
Mille modis acres habitus mihi prodidit ignis,
Cum mihi flens acriter talia verba refert:
Eſt Galathea mihi dolor & medicina doloris,
Hæc dare ſola poteſt vulnus opemq́ue mihi.
Illius ad lacrimas pietas me flere coegit,
Et tamen in tacito pectore læta fui.
Omnia cernebam fieri, ſicut ipſa volebam,
Ardentes ſenſi vos ſimul ire pares.

Lædere flamma ſolet, precor ipſi parcite vobis;
Vosq́; duos mecum jungere poſſit amor.

XLV.

Galathea ad Anum.

Quo petis affecto, & nihil hoc mihi carius eſſet,
Si meus annueret iſtud uterq́; parens.
Iſtud enim noſtris fieri non convenit auſis,
Si bene vellemus nec locus eſſet ad hoc.
Nam mecum mater cuſtos mihi ſemper habetur,
Totaq́; me ſervat nocte dieq́; domus.

XLVI.

Anus ad Galatheam.

Ingenioſus amor portas & clauſtra relaxat,
Vincit quicquid obeſt ingenioſus amor.
Vanos pone metus, pueriles corrige ſenſus,
Mecum dulcis amor te rogat ut venias.

XLVII.

Galathea ad Anum.

Eſt modo facta meæ furtivæ conſcia mentis,
Hujus & es melior pars mihi conſilii.
Vt mihi conſilium dones, ut deprecor illi,
Quod te non pudeat conſiluiſſe mihi.
Eſt ſcelus atq́; nephas ſeducere ſæpe puellas,
Hinc decus & magnum crimen habere potes.

XLVIII.

Anus ad Galatheam.

Nam pudibunda tegam famam copiamq́; loqua-
Nec mea facta conſuluiſſe tibi. (cem,
Nunc quicunq́; velit meus hîc contrarius eſſe,
Proferat his rebus ſi quid obeſſe poteſt.

Viribus & totis veniat contendere mecum,
Aut victus taceat aut modo victor eat.
Quam citius mecum ratio compeſceret illum,
Cum ratione mihi diceret ipſe mihi.
Vir bonus & pulcher genus altum, copia grandis.
Dulcis amor noſtri pars erit auxilii.
Fama loquax taceat, taceat quoq; murmur ini-
Abſq; pudore ſuas res habet iſta vias. (quum.

XLIX.

Galathea ad Anum.

O Deus, in quantis animus verſatur amantis,
Quem timor hac illac pellit amorq; gravis.
Hii duo diſcordes me nocte dieq; fatigant,
Eſſe quod optat amor, hoc vetat eſſe timor.
Quid faciat neſcit, ſemper per devia currens,
Errat, & errando vulnus amoris alit.
Me mihi ſubdit amor, illi licet uſq; rebellem,
Meq; repugnantem fortiter urget amor.
Sic affl cta diu ceſſo quoq; preſſa labore,
Mœſta loquor, quàm ſic vivere malo mori.

L.

Anus ad Galatheam.

Vt majora ſua ſurgant incendia motu,
Illis regnando major & ira furit.
Sic Venus ipſa ſuis eſt & ſibi noxia bellis
Surgit, in oppoſita vulnera lite fovet.
Non potes ergo tuis bellis extinguere flammas,
Sed cum pace tuus mitior ignis erit.
Imperium Veneris fac, dum ſua miles haberis,
Ne tibi ſit damno lisq; laborq; tuus.
Inſipiens temerè male perdis gaudia vitæ,
Teq; dieſq; tuos noxius error habet.

Digitized by Google

Tantum mente vides vultus abſentis amici,
Nocte dieq; tuos nec minus ipſe videt.
Alter in alterius fert tantum lumina vultus,
Res dabit ambobus hæc moderando necem.
Sed reor quod amas leviter depellere curas,
Hujus diſſidii mors fera finis erit.
Parce juventuti, complectere gaudia vitæ,
Læta decet lætis paſcere corda jocis.
Et modo ſola veni pauliſper ludere mecum,
Hæc tibi noſtra domus poma nucesq; dabit.
Vix erit iſte meus ſine fructibus angulus unquam,
De quibus ipſa frui quolibet fructu potes.
Sed modo neſcio quis tam fortiter hoſtia movit,
Vir fuit aut ventus, ſed reor eſſe virum.
Eſt homo, per quoddam nos reſpicit ecce foramen.
Pamphilus eſt, vultus ſi bene noſco ſuos.
Arte ſeram retro paulatim viq; reducit,
Ad nos ingreditur quod modo ceſſo loqui.

LII.

Anus ad Pamphilum.

Cur furioſe fores confringis, Pamphile, noſtras?
Emptas nempe meo deſtruis ære fores.
Quid vis, vel cujus veniſti nuncius ad nos?
Dicere ſi quid habes, dic celer atq; redi.

LII.

Pamphilus Galatheam amplexatus.

O Galathea mea ſuper omnia cauſa ſalutis,
Da mihi poſt longas baſia mille moras.
Nec tamen his ſumptis ſitis meus amor abibit,
Sed creſcit placidis acrius ipſe jocis.

Digitized by Google

LIII.

Galathea Pamphilum amplectens.

En ego tota meis mea gaudia claudo lacertis
En complector onus dulce, piumq; mihi.
Huc mea duxerit felix veſtigia caſus.
Nam tenet iſte locus id quod amo melius.

LIV.

Anus ſecedens.

Me vicina vocat, loquar illi, jamq; revertar.
Nam nimis hoc vereor, huc modo ne veniat.
Quid clamas? propero, veniens hac hoſtia claudo,
Nullus enim remanet hic niſi ſola domus.
Me mea cura tenet, breviter mihi dicito quid vis:
Me tecum longas non licet ire vias.

LV.

Pamphilus ad Galatheam.

En modo dulcis amor, viridisq; juventus locusq;
Nos Galathea, monent paſcere corda jocis.
En laſciva Venus nos ad ſua gaudia cogit,
Inq; ſuos uſus nos jubet ire ſimul.
Quid moror? hujus operis ſupplex tua vota requi-
Tu patiens facti deprecor eſſe mei. (ram.

LVI.

Galathea à Pamphilo compreſſa.

Pamphile tolle manus, te nempe fruſtra fatigas:
Nil valet iſte labor, quod petis eſſe nequit.
Pamphile tolle manus, male nunc offendis amicã,
Jamq; redibit anus, Pamphile tolle manus.
Heu mihi, quã parvuas habet omnis femina vires,
Quam leviter noſtras vincis utraſq; manus.

Pamphile noſtra tuo cur pectora pectore lædis?
Quod ſic me tractas eſt ſcelus atq; nephas.
Deſine, clamabo. quid agis? male tegor ipſa.*
Perfida me miſeram jamq; fefellit anus.
Surge precor, noſtras audit vicinia lites.
Quæ tibi me tradidit, non bene fecit anus.
Vlterius tecum me non locus iſte tenebit,
Nec me decipiet ut modo fecit anus.
Hujus victor eris facti, licet ipſa reluctor,
Sed tamen inter nos rumpitur omnis amor.

LVII.

Pamphilus ad Galatheam.

Nos modo pauliſper quieſcere convenit ambos,
Dum facto curſu noſter anhelet equus.
Cur male dilecto reſpectum luminis offers,
Curq; lavas lacrimis flebilis ora tua?
Sum reus ex toto, modo quaslibet accipe pœnas,
Et major meritis pœna ſit iſta meis.
Et quæcunq; velis patiens ad verbera præſto,
Hortanturq; ſequi facta nephanda mihi.
Hic furor intonuit, rabiesq; libidinis arſit,
Inſtitit hortator his mihi rebus amor.
Fomentum ſceleris mihi principiumq; dedere
Verbula, complexus, baſia grata jocis;
Ardentes oculi, caro candida, vultus herilis;
Aut modo ſim liber, aut ratione reus.
Et modo judicium ſi vis veniamus ad æquum,
Sic peccaſſe tamen non mea culpa fuit.
Iſte meos ſenſus ſubvertit peſſimus amor,
Per quem noſtra tibi gratia ſurda fuit.
De quibus accuſor, merito culpabilis eſſes;
Fons huius fueras materiesq; mali.

Digitized by Google

Tam gravis ira duos non convenit inter amicos,
Sed ſi forte venit, ſit tamen ipſa brevis.
Semper amans delicta pati bene debet amantis,
Culpæ communis fer patienter onus.
En redibit anus: triſtes precor exue vultus,
Ne nos per lacrimas ſentiat eſſe reos.

LVIII.

Anus Remeans.

Ante fores vacuis tenuit me femina nugis,
Quæ Marcum proprio vinceret eloquio.
Cur Galathea tuo corrumpis lumina fletu,
Quem mihi demonſtras, hic color unde venit?
Abſens dum fueram, quid tecum Pamphilus egit;
Te, Galathea, precor ordine cuncta refer,

LIX.

Galathea ad Anum.

Convenit ut noſtros quæras quaſi neſcia caſus,
Cum res conſiliis facta ſit ipſa tuis.
Fructibus ipſa ſuis quæ ſit cognoſcitur arbor,
Tuq; mihi factis noſceris ipſa tuis.
Poma nucesq; dare mihi non bene diſpoſuiſti,
Cum tuus ipſe fuit Pamphilus ante fores.
Vt locus eſſet ad hoc tua te vicina vocavit,
Quo ſpoliata forem virginitate mea.
O quàm magna foris fecit te cauſa morari,
Quàm bene veſtra ſua ars tegit inſidias.

LX.

Anus.

Increpor injuſtè, procul hoc mihi crimen abeſt.
Qua ratione velis me ſatis expediam.

Ætatis noſtræ male nomen criminis hujus
Convenit, ars tanti nec ſtudioſa mali.
Si qua tamen concepta jocis contendio vobis,
Contigit, abſenti quæ mihi culpa fuit?
Sit quodcumq; poteſt mihi ad me lis utriusq;
Quam movit inſipiens, non nego, veſter amor.
Dic tamen ignoti ſeriem tu Pamphile facti,
Hujus origo mali ne ſit operta mihi.

LXI.

Pamphilus ad Anum.

Urgueor è minima, ſi ſcires ordine, culpa,
Eſtq; mihi meritis durior ira meis.
Sed decet arcanum celare ſemper amorem,
Nam dixiſſe pudet cùm dolor omnis abeſt.
Tantum ſe vivere rixas tibi convenit iræ;
Quod ſuper, inter nos convenit eſſe duos.

LXII.

Galathea.

Pamphile dic illi, noſtros quaſi neſciat actus,
Rem ut percipiat qualiter iſta venit.
Quod tibi conſuluit, à te quaſi neſcia quærit,
Ut videatur in hoc non nocuiſſe mihi.
Artibus innumeris mihi devia plura paraſti,
Sed tamen indiciis res patet ipſa ſuis.
Sic piſcis curvum jam captus percipit hamum,
Sic avis humanos capta videt laqueos.
Sed modo quid faciam? fugā captiva per orbem?

. . . .

Hoſtia jure mihi claudunt utriq; parentes

. . . .

Metiar hac illic oculis vagantibus orbem,
Læta tamen miſeræ ſpes mihi nulla venit.

LXIII.

Anus.

Vt graviter doleat, non pertinet ad ſapientem,
Cùm dolor ad dominam præmia nulla refert.
Hoc moderanter habe, quod arte nequit reparari,
Cùm malè perſuaſit immoderatus amor.
Convenit ad veſtros modus & moderantia caſus,
Quodq́; ſequi deceat quærere conſilium.
Mordet enim graviter diſcordia pectus amantis,
Et fovet in bellis vulnera ſæpe ſuis.
Quæ bene vos foveat, placidam concedite vitam,
Hæc tua ſit conjunx, virq́; ſit iſte tuus.
Per me proprium ſit compos uterq́; ſuorum;
Per me felices, eſte mei memores.

F I N I S.

OVIDII NASONIS PELIGNENSIS, DE VETVLA, Libri III.

PRÆFATIO, SIVE ARGUMENTUM LEONIS PROTONOTARII, ſacri Palatii Bizantei, ſub Vatachio Principe, in librum Ovidii Naſonis Pelignenſis, De Vetula.

Ovidius Naſo Peligni ruris alumnus,
Certus ab exilio ſe jam non poſſe reverti,
Et quærens utcumq́; ſibi ſolatia, librum

Edidit hunc: in eo deſcribens quis modus ipſi
Vivendi fuerat tunc, quando vacabat amori;
Quare mutavit, & quomodo poſtea vixit;
Quidve intendebat ſimulac ab amore vacavit.
Impoſuitq; ſuo titulum nomenq; libello
DE VETVLA, pro qua fuerat mutatio facta;
Inq; ſuo ſecum juſſit condire ſepulchro,
Vt ſua ſi ſaltem contingeret oſſa referri
Corredeunte libro redivivum nomen haberet.
Sed quia nullus eis curavit de referendis,
Nec fuit autemptim lectus, nec habetur in uſu.

ITEM PRÆFATIO IPSIUS AUCTORIS.

Quæritur unde tamen ad opus proceſſerit iſtud
Verſibus . . . . . nec ſubduplicarim
More meo . . . cum nullus herorum
Hic deſcribitur . . . legerit ipſum
Sedulus in Vener. . . . ſemper amoris
Amodo me debere . . . vivere ſicq;
Reſpondere ſibi . . . . . evacuata
Cauſa debuerit . . . itus & evacuare
Verſus amatorum proprius Veneriq; dicatus.

OVIDII NASONIS PELIGNENSIS, DE VETVLA.

Liber primus incipit,

In quo deſcribit modum vivendi, quem habuerat, cum vacaret amori.

I.

O Quàm carus erat mihi, quamq́; optabilis ille
Femineus ſexus, ſine quo nec vivere poſſe
Credebam quemcumq́; virum, ſed & inferiorem
Me certe quocumq́; viro, quo ad hoc, reputabam.
Qui procul à cara me vivere poſſe negaſſem,
Omnes ſollicite venerans unius odore,
Eſſe mihi malens unam, cujus modus eſſet
Commodus & cõcors, quàm multiplicare puellas,
Ex quibus importuna foret mihi forſitan una.
Nam ſicut vulgare ſolet paradigma tenere,
Sicut habens centum, nullam reputatur habere,
Sic & habens unam, pro centum cõputat illam.
Nam nullius eris, dum ſe non vendicet una;
Vnaq́; ſufficiet quaſi centum ſolus haberes.
Vnuſquiſque ſibi, quod mavult, eligit, & quod
Nõ placet, hoc renuit. De me ſcio quod magis unã
Vellem, quàm nullam; quod concordẽ magis unã,
Quàm multas, quarum mihi contradiceret una.
Vnam propterea cribraram è milibus, unam
Perfectam, quam ſi citius Fortuna dediſſet,
Inter felices merito numerabilis eſſem.

II.

O quantum lætabar ea, quantumq́; juvabat
Eſſe ſui memorem! quanta dulcedine curis
Expulſis pectuſq́; meum mulcere ſolebat!
Poſtpoſitoſq́; jocos modulis revocare ſonoris!
Veſtibus ornari nitidis faciebat, alute
Caſtigare pedes circumplexu ſinuoſos.
Nil erat incultum, facies niſi ſola; puellis
Eſſe videbatur ſolis pars illa colenda.

Digitized by Google

Nec facies neglecta tamen; quin providus eſſem,
Ne circumſtarent fluxi veſtigia puris,
Seu lacrimalia, ſeu cujusq; foramina ſenſus.

III.

Et juveneſcebam, quotiens mento reparato
Barbalem radebat acuta novacula ſilvam,
Cujus cùm ſpolium nullam ferat utilitatem,
Carior ulla tamen non eſt nec debitus ulli
Tantus honor ſilvæ. Multum placet aſperitas hæc,
Non pro ſe, ſed pro ſignato. ſilva viriles
Indicat hæc animos, vires quoq; partis amicæ,
Per quam ſalvatur ſpecies divina, licet ſit
Ex individuis mortalibus. Ipſa dat unde
Non in ſe rediens licet in ſe viſa reflecti,
Sed proceſſivè generatio continuetur.
Ipſa receptricem fœcundat tempore certo
Sponte refuſuram dulciſſima pignora natos,
Quo nihil eſt homini conjunctius. Ipſa miniſtrat
Vnde ſuperba thori conſors ſe grata libensq;
Supponat maris imperio. ſubjectio mira:
Nam famulamur eis, tanta inclinatio noſtra
Naturaliter eſt ad ſexum femineum, qui
Præ cunctis lætum me fecerat eſſe coævis.

IV.

Me refici lautè clara faciebat in aula,
Cujus campus erat ſtratus pro tempore, prati
Nunc ſpoliis junco, Cereris nunc ſtipite flavo
Invitare bonos mea larga manus ſatagebat,
Et propriis rebus tamquam communibus uti,
Multiplicare dapes, effundere ſanguinis uvæ
Mille modos: & ubi rigor exigeret glacialis,

Ignibus accenſis truncosq; vorante camino,
Æſtatem revocare novo quaſi Sole creato;
Vtq; meis poſſet de nocte dieſcere menſis,
Sidereas aptare faces, quas mellis alebat
Sponſa, ſed ipſius ſponſi divortia paſſa.
Hiis immiſcebam quicquid poterat modulari
Concentus varios, licet in diverſa trahentes,
Concordare tamen viſos vel voce vel uſu
Inſtrumentorum: quicquid vel muſica ſcribit,
Vel didicere manus auditu judice, tacto
Pulſu vel tractu vel flatu. cimbala pulſum
Dura volunt, tractumq; fides, & fiſtula flatum.

V.

Intrabam thalamos etiam, ſi quando libebat,
Secretos: ubi lux ſi vellem multa vigeret,
Nullaq; ſi vellem, vel ſi mallem mediocris.
Inde videre potens ſilvas agrosq; feraces,
Hortos & vites, fluvios & prata lacusq;,
Si tamen aſpectus horum quoſcunq; juvaret.
Quantumcumq; juvet aſpectus longus eorum,
Aſpectum credas & delectabiliorem
Incluſnm metum, ſatis & mirabiliorem.
Nam ſi dives erat, qui viſum paſcere poſſet,
Ditior à longè qui paſcere ſufficiebat
Senſibus intellectum multo nobiliorem.
Sicut enim virtus intellectiva ſuperſtat
Senſibili, ſic & niſi ſit proportio mendax
Objectum objectum ſuperabit, & interiori
Luci doctrinæ, quæ illuminat intellectum,
Numquam præſumet conferre foranea ſe lux.
Quod ſi contulerit temere, ridebitur inde,

Tamquam ſi candela velit contendere Soli.
Hæc lux doctrinæ mecum concluſa nitebat,
Pluſq; fovebar ea, quàm quoquam materiali.
Eleganter erat paries veſtitus amœnis
Vndiq; picturis diverſicoloribus auro
Clarus, imaginibus tacitis præconia clamans,
Artificis non hiſtoriam, ſed myſtica quædam
Demonſtrans illis, quorum deſcriptio plus eſt
Hujus quàm libri capiat ſententia tota.

VI.

Illic lectus erat caro pretioſus amictu,
Quo poſſet ſe velle premi quæcumq; puella
Si virgo: modo ſponte pati cantaret in illo,
Quæ nihil amittens amiſſo flore notatur,
Audacterq́; thori fœdus dirrumperet uxor,
Quæ fructum faciens ſobolem turbare timetur,
Orba viro refocillari gauderet ibidem
Dum non conciperet, heremi frondentis amica.
Hic flos virgineus, fructuſq́; uxorius illic,
Hic viduus ramus foliis facientibus umbram
Gratus, ſed poſtquam deſertum deſerit, illi
Fertilitas metuenda niſi tranſegerit annos:
Eligit hic flores, hic fructus, illeq́; frondes.

VII.

Sed quia crudelis, qui famam negligit, illam
Vir prudens capiat, quam ſuggillatio famæ
Non ſequitur. Sane virgo manet integra fama,
Donec prodat eam partus, vel prodiga linguæ
Divulget ſecreta minus fidis ſociabus:
Vel ſi fors experta virum deſiderat ultra,
Quàm ſit opus, nec jam ſcit diſſimulare, ſed ignẽ

Nunc geſtu, nunc ornatu confeſſa profundum
Circuit, & quærit oculis quem diligit, & jam
Gaudia differri non ſuſtinet, intrat & exit
Inconſulta quidem, quia dum ſibi non cavet, illi
Nemo cavere poteſt, cœcoq; furore vagatur.

VIII.

Verum nupta quoad quædam minus eſt oneroſa,
Atq; quoad quædam majora pericula ſubdit.
Nupta poteſt ubi vult & quando & qualiter ire,
Si juvenis, trahit unanimes, trahit úrve per illas,
Seq; theatrales ſimulat ludos adituram:
Si matura, forum pro multis rebus emendis
Eſſe frequentandum prætendit, deq; minutis
Intromittit ſe, majora gerente marito.
Quod ſi jam non ſit humili de plebe, nec ipſam
Hiis operam dare conveniat, delubra Deorum
Circuit, & modicum cenſet vicina valere,
Plusq; remota placent, gaudet novitate viarum,
Cotidieq; Deos creat, & miracula fingit
Votis digna novis, quo ſe promittit ituram.
Nec vadit quia voverit, immò vovet quia vadit,
Cum votum non cauſa viæ ſit, ſed via voti.
Ergo vovet, vel ſe dudum voviſſe fatetur
Forſitan in partu vel pro valitudine vera
Seu commenticia, cauſasq; perennat eundi,
Religione quidem lucrata fidem. ſed eadem
Eſt ſibi peccandi captata licentia. quo ſit
Vt peccatricis excuſativa fides, &
Audax peccandi fiducia ſint ab eodem.
Porro ſi coitum furtivum, ut ſæpe, ſequatur
Fœtus, ſemper eum tibi ſponſus alet; quia ſemper
Filius uxoris præſumitur eſſe mariti.

Google

Econtrà durum eſt ſollemnizare quod ille
Conculcat, ſed & ex nupta poterit quis habere
Majores inimicitias, quia pellice læſa
Non tantum dolet hæc, quin rivali magis ille,
Ægra ſed indemnis injuria provocat ipſum,
Armaq; juſta movet, qui ſi præpoſſit amanti
Forte ſuperveniens, deprenſoq; & mutilato
Purget adulterium, fiet commotio riſus
In populo, nec erit qui compatiatur eidem
Damna ſui paſſo, nec judex audiet ipſum.

IX.

Ad viduam venio, quæ ſi tantum timeat, ne
Concipiat, parat unde ſibi procuret aborſum
Immemorabilibus ſe potatura quibuſdam,
Ut nondum nati fiat miſerabile buſtum;
Vel ſi jam natus clamore repleverit auras
Accuſans matrem, ſubito perplexa ſtupore
Et furiis agitata novis, improvida ſtringit
Averſis oculis teneri puerilia nati
Guttura, nec ſpirare licet, ſed deficiente
Aëre non reperit quid cordi pulmo miniſtret,
Et moritur, nondum guſtâto lacte parentis.
Proh ſcelus! ô ſuperi! fit ut inſons ſentiat hoſtem,
Cujus pars uteri nuper fuit, ut prius inter
Manes quàm vivos habitet, prius experiatur
Mortem quàm vitam, vix natus tempora complens,
Et matris peccata luens. Illi hercule, quæ ſic
Tractat inhumanè ſua viſcera, me malè credam,
Quin irato mihi dando ſit prona veneno.

Digitized by Google

X.

Dii bene, pro foribus ſi quorumcumq; Deorum
Projectus fleſſet, elemoſyna publica ſaltem
Nutriviſſet eum nullius & omnis alumnum.
Dic mihi crudelis, dic mater cunda, Tyrannus
Quid plus feciſſet? deerátne pater? modo deſit,
Numquid mater eras? ubi tu? nō corpore deeras,
Vt mater deeras. Vtinam tu defueris: nam
Si ſibi fatorum ſeries utrumq; parentem
Subtraxiſſet, adhuc hodie ſupereſſet: at una,
Quam natura ſibi debebat ad omnia totam,
Quæ merito ſperanda fores ſic tota futura
Plus ſua, quàm tua, quod materno fœdere velles
Nutricis gerulæq; vices ſupplere, fuiſti
Vna inimica ſibi, confundens omnia jura.

XI.

Felix qui poſſet vitare pericula, ſed qui
Scandala vitaret, longè felicior eſſet.
Nam ſicut melius mortali corpore nomen,
Quod manet æternum, ſicut ſunt pejora periclis
Scandala corporeis, cùm ſint contraria famæ.
Feliciſſimus eſt igitur, qui vitat utrumque,
Dum tamen optata poſſit quandoq; potiri.
Ha quantis voluit rationibus inſinuare
Naturæ pater & dominus, ſe velle quod vſq;
Propagarentur animalia! Nam quis amaret,
Quis tantum appeteret niſi bruto ductus amore
Tam fœdum coitum, niſi delectatio tanta
Tamq; potens eſſet genitalibus indita membris?
Sed potuit, ſcivit, voluit tantam indere, noſq;
Digitized by Google
Oh utinam cupiamus eam juxta quod oportet.

XII.

Legem naturæ fixam ponamus, & illam
Circumſcribamus modo, quæ poſitiva vocatur:
In qua peccabo, ſi fecero, quod prohibetur,
Non quia peccatum ſit, ſed quoniam prohibetur:
Rurſum præceptum ſi negligo, non quia juſtum,
Sed quia præceptum. Circumſcripta modo tale
Lege loquar, ne multa loquens immiſcuerim quid
Quod contra legem poſſim dixiſſe videri.

XIII.

In votis tunc eſſe meis plerumq; fatebar
Felicem, ſi quis cognoſcere poſſet amicam,
Dum lævum capiti ſubmitteret ipſe lacertum,
Ipſa ſuum lævo lateri dextrum daret, atq;
Molle femur; ſed & una manus reſtaret utriq;
Libera, ſecretis tractatibus apta quibuſdam;
Pectora ſic eſſent ſibi juncta quod ubera preſſa
Cordis amatoris circumſtarent regionem
Fomentum ſtimulans ſtimulumq; datura foventem
Ad meditativam coitu ſuper evigilandam.
Oſcula denſa darent ſibi colluctantibus inter
Denticulos linguis, leni cum murmure, membraque membris
Aptarent, multisq; modis multisq; figuris
Juncti vagirent circumvolvendo ſibi ſe
Illecebraſq; ſuas verbis augendo jocoſis,
Seq; obſervarent ut neuter præveniendus
A conſorte foret, vel præventurus eumdem,
Quin ſimul ad Veneris lacrimas, quas motus amicus

Digitized by Google

Elicit, adducti quaſi commoriendo jacerent

Jam velut exanimes facti, ceſſare coactis
Motibus, & tanta victis dulcedine, quantam
Tantorum completio dat deſideriorum,
Jamque viderentur animas efflare viciſſim
Alter in alterius faciem virtute ſepulta,
Et tandem ſenſim redeunte reſurgere vita;
Quamvis inviti mallentque fuiſſe moroſam.
Delicias iſtas & gaudia tanta docere
Nullus inexpertus poſſet, nullusque doceri,
Sed quia nulli ſunt adeò conſortia cara,
Quin aliquando velit conſorte carere, juvabat
Nonnumquam ſolum ſpacioſo me dare lecto.

XIV.

Et quia non ſemper domibus delectat ineſſe,
Mos erat interdum turba comitante meorum
Conſpicuos phaleris in equos conſcendere; fontes
Viſere cum ſaltu de montis ventre ſcatentem
Præcipiti rivo modò ſubvertente lapillum;
Fructiferis & odoriferis verſabar in hortis,
Olfactuque vagos florum venabar odores
Tempore vernali; proceſſu temporis undas
Fluminis intrabam, cumque eſſem plus gravis illis;
Alterno motu me reddebam leviorem,
Brachia ſic jactare ſciens, & crura movere;
Quod quamvis gravior, quamvis undæ leviores,
Luctabar levibus graviorem me ſupereſſe;
Et modò ſilvarum latebræ, modò prata placebant;
Nunc Bachi Cererisve nemus meditabar ubique;
Qualiter hic vel ibi jocunde vivere poſſem.

XV.

Nam curis plerumque urgentibus ut relevarer,
Nunc volucrum turmis mihi mos erat inſidiari

Ventilabro moto paſſim ſtabilone ligato
Fila ſupertracturus eis, ſi forſitan illic
Oblectarentur per equum deducere quaſdam;
Donec in altas caligas & pyramidales
Intraſſent minimè reditura; geſticulando
Quaſdam, ſicut agunt paſtores, cùm joculantur;
Sicut & ad ſiſtrum ſaltat laſciva puella,
Sicut multotiens agitur furiis agitatus,
Sicut jectigat is, cujus nervi reſoluti;.
Nunc quaſdam laqueis, quaſdam viſco retinere,
Quarumdam viſus obtundere noctibus igne,
Ac improviſas involvere retibus illas,
Nunc avidis avibus pavidas terrere, vel illas,
Quas fluvius, vel quas ager; aut nemus educat; hasq́;
Prendere, quas nec penna celer ſublimat in altū;
Nec nemus occultat, nec aquæ ſubmerſio ſalvat.

XVI.

O quicumq; pias furtiva fraude columbas
Talibus ingeniis aliisve quibusq́; fatigas,
Cultrices Veneris, fœcundas prole, gemellos
Omni menſe ferè ſibi multiplicare potentes,
Quæſtu viventes, vaſtare domeſtica parcas,
Divitias menſæ, quarum nec ſimplicitati
Parcis, nec domini cujus ſunt utilitati
Defers, ovantes comedens, quarum cibus ori
Non ſapit, & ſtomachum malè nutrit, durus utrique:
Omnibus in templis anathemate percutiaris,
In quibus alma Venus colitur, ſeu filius ejus.

XVII.

Digitized by Google

Nunc mihi mos etiam venatum per nemus ire.

Et ſtrepitu cornuq́; cavo & mordacibus omnes
Sollicitare feras canibus, veſtigia doctis
Certa ſequi, & numquam mutaturis ſemel acta:
Nunc illis arcere lupos, ut ſimplicitati
Parcatur timidarum ovium vulpisq́; doloſæ
Cautelas urgere vicemq́; rependere fraudi:
Armatosq́; metu lepores retrovertere, damas
Ignavas laſſare cito, capreasq́; fugaces
Prendere, dum caput occultat, nullumq́; videntes
Arbitrantur & à nullo ſe poſſe videri:
Nunc ad cuniculum foveæ munimine tutum
Mittere furonem, qui dente laceſſiat ipſum
Donec in inſidias prætenſas retiolorum
Se ſtimulatus agat malè cautus ab obſidione;
Nunc baculis brevibus clavelloſæ capitatis
Confiſos levitate ſua, promptosq́; ſalire
De ramo in ramum cirogrillos dijaculare:
Nunc quoq́; præcipites inconſulteq́; ruentes
Exſpectare ſues, quos in venabula torrens
Impetus atq́; furor agit, & temerarius auſus.

XVIII.

Nunc cervum celerem, ſuccinctum cruribus altis,
Per denſos veprium ramos ramoſa ferentem
Cornua & auditum quod terruerat repetentem,
Vel morſu retinere canum, vel aquas adeuntem
Cum longo curſu jam deficit halitus oris,
Speq́; renaſcendi ſeq́; ut refrigeret, haurit,
Non quod eum reparetve fugæ reparetve labori,
Sed quod ſic fauces ſitibundas impleat, ut non
Confortetur eo ſua virtus, immo voluntas
Inconſulta quidem: nam quod ſorbetur ab illo
Torporem generat, cum quærere debeat illa,

Quæ faciant agilem. tunc mos violenter adire
Vt vel ſe reddat ripæ canibus lacerandum,
Vel mediis merſus ſuccumbat aquis redimendo
Morte metum mortis, gravior qui morte quibuſ-
dam.

XIX.

Vel certè poſtquam nuper per opaca repertum
Excivere canes, veſtitum fronde latere,
Quà ſperabat eum venator præteriturum,
Expectareq́;, dum veniat, certaq́; ſagitta
Figere, moxq́; canis guſtato ſanguine naſo
Credere, ſicq́; ſequi quoaduſq́; cubilia tandem
Intraret feſſus, quibus inventus caperetur,
Ne moreretur inutilis in luſtris, ſed in Aula
Præterita jam morte nihil ſenſurus adeſſet
Feſtivus, quia jam tutus, quia mors ſemel uſa
Jure ſuo non plus in idem fungetur eodem.

XX.

Nunc & erat mihi mos piſces captare marinos
Retibus hos, illos hamis, illosq́; ſagena,
Alatis quoſdam caligis in pyramidalem
Conum protenſis: etiam nunc ad fluviales
Me convertebam connexis vimine quoſdam
Decipiens calathis, ubi cederet ingredienti
Virgula flexibilis piſci reditumq́; paranti
Mordax ejuſdem cuſpis præacuta negaret:
Quoſdam decipiens aliquando tenacibus hamis
Vermibus allicitos, quoſdam per linea fila
Nodoſis connexa modis involvere gnarus,
Dum lignumq́; ſupernatat, & plumbū petit ima,
Néve vel aëriam ſaliens approximet horam,
Vel fodiens in viſceribus limi peregrinet

Illudens nobis alienis ex elementis:
Et nunc anguillas tonitru terrente minaci
Attonitas & aquæ ſe præcipitantis in arcam
Curſum ſectantes ſervare manu capiendas,
Nunc & dentato transfigere pectine viſas
Cum face ſuccenſa nitidis de nocte ſub undis.

XXI.

Sontibus à curis per talia me relevabam,
Solos evitans decios, quibus alliciuntur
Multimodè multi, de quo ſuper omnia miror.
Quis furor eſt homines exponere ſic ſua ſorti,
Cùm ſolus caſus in talibus inveniatur?
Vnde venire poteſt hominem quod taliter urat
Tantus amor ludi, tamq; irrefragabilis ardor?
Quid tibi cum numeris? quid habet numerus numero plus?
Quid curas prior alteruter veniat numerorum?
Mirari non ſufficio, quæro undiq; cauſam,
Nec tamen invenio, niſi quod prætendo ſequaces
Ludi, lucrandi ſolius odore moveri,
In ſummo cupidos, aliterq́; acquirere ſegnes
Et demum fures, ſi poſſet adeſſe facultas.

XXII.

Vidi multotiens ego de patre paupere natum
Multiplicaſſe ſibi numiſmata, multiplicaſſe
Divitias alias, & agros agris cumulaſſe,
Atq; domos domibus. Vidi contraria: nam cui
Prædeceſſores acquiſierant bona multa,
Omnia diſpergens luſor temulentus, adulter,
Omnia paulatim vendebat, & omnibus uſus
Tandem ad egeſtatem ſupremam deveniebat.

Vidi nonnullum, cujus poſſeſſio multa
Nec diſpergebat vendendo taliter illam,
Sed minus incaute faciebat deteriorem.
Forſitan in domibus plumbo tectis habitabat,
Oſtia de ferro ſibi, de ferroq; feneſtræ:
Pro plumbo lateres mutabat, ferrea vendi
Atq; ſaligna loco poni faciebat eorum.
Expenſurus erat, quod de pretio remanebat.

XXII.

Quem conſuetudo mala, difficiliſq; relinqui,
Vini potandi maturos duxit ad annos,
Et bona diſpergit, pro conſuetudine tali,
Quod delectat, habet, aliquatenus excuſatur.
Qui vero facit hæc optatum ut paſcat amorem,
Vt cui forma deeſt, deſuntq; moventia verba,
Saltem muneribus cara potiatur amica,
Quod delectat habet, aliquatenus excuſatur.
Sed qui pro ludo ſua diſpergit, nihil unde
Excuſetur habet, nihil eſt inſanius ipſo.
Mercator prudens non ſemper, non ubicumq;
Vel vendit vel emit merces quaſcumque, ſed illas
Vendit tunc vel ibi quando caræ vel ubi ſunt,
Et quando vel ubi viles emit has ibi vel tunc
Cognoſcitq; bonas & ineſt induſtria multa.
Sed locus & tempus deſunt luſoribus & res
Quæ fieri poſſit modo vilis vel modo cara.

XXIII.

Forte tamen dices, quoſdam præſtare quibuſdam
Ex numeris, quibus eſt luſoribus uſus, eo quod
Cum decius ſit laterum, ſex & numerorum
Simplicium, tribus in deciis ſunt octo decemq;,

Quorum non niſi tres poſſunt deciis ſupereſſe.
Hii diverſimode variantur, & inde bis octo
Compoſiti numeri naſcuntur, non tamen æque
Virtutis, quoniam majores atq; minores
Ipſorum raro veniunt mediiq; frequenter,
Et reliqui quanto mediis quavis propiores
Tanto præſtantes & ſæpius advenientes.
Hiis punctatura tantum venientibus una,
Illis ſex, aliis mediocriter inter utroſq;,
Sic ut ſint duo majores totidemq; minores
Vna quibus ſit punctatura, duoq; ſequentes
Hic major minor ille, quibus ſit bina duobus.
Rurſum poſt iſtos ſit terna, deinde quaterna,
Quinaq; ſicut eis ſuccedunt appropiando
Quatuor ad medios, quibus eſt punctatio ſena,
Quæ reddet leviora tibi ſubjecta tabella.

Deeſt figura.

Hii ſunt ſex & quinquaginta modi veniendi
Nec numerus minor eſſe poteſt vel major eorum.
Nam quando ſimiles fuerint ſibi tres numeri, qui
Jactum componunt, quia ſex componibiles ſunt,
Et punctatura ſunt ſex, pro quolibet una.
Sed cum diſſimilis aliis eſt unus eorum,
Atq; duo ſimiles, triginta poteſt variari.
Punctatura modis; quia ſi duplicaveris ex ſex
Quemlibet, adjuncto reliquorum quolibet, inde
Producent triginta, quaſi ſex quincuplicati.
Quod ſi diſſimiles fuerint omninò ſibi tres,
Tunc punctaturas viginti connumerabis.
Hoc ideo quia continui poſſunt numeri tres
Quatuor eſſe modis, diſcontinuit totidem; ſed
Si duo continui fuerint, diſcontinuusq;

Digitized by Google

Tertius, invenies hinc tres bis & inde duos ter,
Quod tibi declarat occultè ſubiecta figura.

Tabula diverſitatis punctaturarum.

6.6.6.	5.5.5.	4.4.4.	3.3.3.	2.2.2.	1.1.1.	6.6.5.
6.6.4.	6.6.3.	6.6.2.	6.6.1.	5.5.6.	5.5.4.	5.5.3.
5.5.2.	5.5.1.	4.4.6.	4.4.5.	4.4.3.	4.4.2.	4.4.1.
3.3.6.	3.3.5.	3.3.4.	3.3.2.	3.3.1.	2.2.6.	2.2.5.
2.2.4.	2.2.3.	2.2.1.	1.1.6.	1.1.5.	1.1.4.	1.1.3.
1.1.2.	6.5.4.	5.4.3.	4.3.2.	3.2.1.	6.4.2.	6.4.1.
6.3.1.	5.3.1.	6.5.3.	6.5.2.	6.5.1.	6.2.1.	5.2.1.
4.2.1.	5.4.2.	5.4.1.	6.4.3.	4.3.1.	6.3.2.	5.3.2.

XXIV.

Rurſum ſunt quædam ſubtilius inſpicienti
De punctaturis, quibus una cadentia tantum eſt,
Suntq́; quibus ſunt tres aut ſex, quia ſchema cadendi
Tunc differre nequit, quando ſimiles fuerint tres
Prædicti numeri. Si vero ſit unus eorum
Diſſimilis, ſimilesq́; duo, tria ſchemata ſurgunt
Diſſimili cuicunq́; ſuperpoſito deciorum.
Sed ſi diſſimiles ſunt omnes, invenies ſex
Verti poſſe modis, quia quemlibet ex tribus uni
Cum dederis, reliqui duo permutant loca, ſicut
Punctaturarum docet alternatio, ſicq́;
Quinquaginta modis & ſex diverſificantur
In punctaturis, punctaturaq́; ducentis
Atq́; bis octo cadendi ſchematibus, quibus inter

Digitized by Google

Compoſitos numeros, quibus eſt luſoribus uſus
Diviſis prout inter eos ſunt diſtribuenda;
Plenè cognoſces quantæ virtutis eorum
Quilibet eſſe poteſt, ſeu quantæ debilitatis,
Quod ſubſcripta poteſt tibi declarare figura.

Quot punctaturas & quot cadentias habeat quilibet numerorum compoſitorum.

3	18	*punctatura*	1	*Cadentia*	1
4	17	*punctatura*	1	*Cadentiæ*	3
5	16	*punctaturæ*	2	*Cadentiæ*	6
6	15	*punctaturæ*	3	*Cadentiæ*	10
7	14	*punctaturæ*	4	*Cadentiæ*	15
8	13	*punctaturæ*	5	*Cadentiæ*	21
9	12	*punctaturæ*	6	*Cadentiæ*	25
10	11	*punctaturæ*	6	*Cadentiæ*	27

XXV.

Non igitur ſolus ibi caſus ineſt. Ego vero
Dico tibi brevibus, caſu non poſſe carere
Quod tibi vel ſocio concedat ſors meliorem.
Reſpondes, quod ineſt ludo ingenium jaciendi
Excludens caſum. Sed ad hæc etiam tibi dico;
Si recte jacias, modicum valet; ac aliter quàm
Recte ſi jacias, furtum committis, eoq;
A ludi ſocio comperto probra ſequuntur,
Juratur temere, blaſphemia multiplicatur,
Poſt probra percutitur cum pugno, dilaniantur

Cri-

Crines, cultelli ſequitur temerarius ictus.
Solus ineſt caſus, quem non ſequitur niſi ſtultus.

XXVI.

Quod ſi fortunam dicas. Fortuna coæqua
Non erit erga omnes individuos, quia ſi tu
Fortunatus es, eſt te fortunatior alter,
Nec potes ante omnes fortunatiſſimus eſſe,
Nec ſcis fortunas hominum. Concluditur ergo
Quod redit ad caſum, quem non ſequitur niſi ſtultus.
Adde quod in multis ludis quicunque lucratur
Non ſolus ſua lucra refert, dabit undique, ſi non
Diſcolus eſt, & ei circumſtans quiſque nocebit,
Quod ſi perdiderit, non inveniet relevantem.
Unde fit ut ſi non plures fortuna ſequatur
Ludos, non poterit ludorum evadere damna.
Addeque quod luſor ſe continuare lucrando
Neſcit, perdendo neſcit dimittere ludum.
Si fatum ponas. Fatui qui fata ſequuntur.
Nam poſito fato libertas arbitrii non
Eſſet, ſed libertas eſt aliquid. nihil ergo
Fatum fatuum: Fatui qui fata ſequuntur.
Solus ineſt caſus, quem non ſequitur niſi ſtultus.
Non dico me non luſiſſe, ſed omnia libres
Quæ vel lucratus fuerim caſúve ſiniſtro.
Perdiderim, ſummam ſi de majore minorem
Diminuas, non invenies ſolidum remanere.

XXVII.

Excuſare tamen ſpeciem ludi deciorum
Nituntur, cum qua deducitur alea pernix,

Ipſam dicentes pauco diſcrimine rerum
Paſci poſſe diu. tanta eſt dilatio ludi,
Tanta lucri damnive mora eſt, ſucceſſio cujus
Tot parit eventus, quot jactus continet in ſe
Finetenus ludus, nec ſola ſorte ſed arte
Procedunt acies, & ineſt induſtria mira,
Præſertim cum multimode mutatio ludi
Quolibet in jactu diſponi poſſit, eo quod,
Sicut præceſſit, jactus diverſificantur
In punctatura propriè, quia ſchema cadendi
Nil operatur in hoc, ſed punctatura docet quid
Luſoris faciat viſo ſollertia jactu.
Quomodo militiam diſponat ibi legit, unde
Transferat & quo, quã vel quas ter quinq́; ſuarũ,
Et combinat eas, ne ſi capiantur ab hoſte
Solivagæ, cogantur ut ad ſua caſtra recurrant
Et numeros perdant impenſos. Solivagasq́;
Hoſtiles capit ad ſua caſtra recurrere cogens
Damnificansq́; hoſtem numeris, quibus egerat il-
Diſtrictúsq́; præoccupat, anguſtátq́; meatus, (las,
Vt pateat via tuta ſuis ad circueundem,
Atq́; negetur eis, quibus adverſarius uti
Debet. Sed poſtquam præcluſerit omnia, néve
Deſcendat ſeries ſua præcipitantius æquo,
Exponit quaſdam capiendas ſponte ſuarum
Vt renovet ſurſúmq́; reciprocet obſidionem,
Reſtaurétq́; ſuam ſi rupta eſt ſorte Cathenam,
Donec tot teneat captivas, quod recipi vix
Poſſent in caſtris, etiam ſi caſtra vacarent,
Vel donec quæ tranſierant ita præcipitatæ
Sint vel diſiectæ, quod non poſſent retinere
Si quam captivam regredi contingeret illuc.

Digitized by Google

XXVIII.

Non tamen ad votum numeri ſuccedere jacti
Sæpe ſolent, ſed deſtruitur ſeries magis uno
Perverſo jactu, quam multis reſtituatur.
Vnde fit ut dubio caſu victoria nutet,
Et confundantur ſpes & metus, ac ſubigatur
Qui quaſi victor erat, deſperatusq; reſurgat,
Permutentq; vices, faciles hinc inde triumphi
Spe ſterili vanoq; metu dum concutiuntur,
Seq; ſubalternant modo victores modo victi.
Verum quantumcunq; juvet deducere pulchre
Militiam ludi, vel quantum ſubcubuiſſe
Ludendo pudeat, quantum quoq; paſcere ludum
Pro modico liceat, vel fortuita ſine damno,
Quantum ſe recreent, quantove levamine curas
Tempus inutiliter ducendo fallere poſſint,
Finalis tamen eſt luſorum intentio, lucrum
Cujus habe ſignum, quod ad infortunia nullus
Sic debacchatur luſor, tantove furore
Torquetur, quin mox ſua deferveſceret ira,
Si qui lucra tulit ſibi perdita reddere vellet,
Nec minus in modici quàm multi perditione
Rixant inter ſe, ſed jurant turpiter, immo
Nomina blaſphemant quæ non meruere Deo-
rum.

XXIX.

O mortale genus, quæ te veſania pulſat?
Compelléſne Deos contraria velle? quod optat
Alter luſorum, reliquo non poſſe placere
Conſtat, & alterutrum ſi curant talia, lædent,
Atq; ita non poterunt evadere turpia verba

Alterutrius eorum, cùm nulla ratione
Poſſit utriq; ſatisfieri. Tu qui modo perdis,
Dic mihi quid debent tibi Dij plusquàm ſocio? dic
Si tibi fortunam ludi dare noluerint Dij,
Quid de jure tuo minuunt? iniuria nulla eſt
Non dare. Debueras potius ſibi grata negare
Thura, pari pœna purgando negata negatis.
Sed tamen ex æquo cum Diis contendere fas eſt.
At quaſi ſis læſus lædis quantum potes, armis
Si poſſes læſurus eos. Dic, improbe, linguam
Quis docuit formare ſonos, quibus egrederetur
Mens tua cùm velles? numquid ratio? rationem
Quis dedit abſq; Deo quiſquis fuit ille Deorum?
Tu vero nullum excipiens, ingrate laceſſis
Igne venenato linguæ communiter omnes.
Tu brutis miſerabilior; quia bruta datorem
Laudarent, ſi poſſe loqui Deus ille dediſſet:
Sicq; tibi non poſſe loqui melius fuit. Ergo
Vel tu blaſphemare Deos, vel ludere ceſſa.

XXX.

Eſt alius ludus ſcacorum, ludus Vlixis,
Ludos Trojana quam fecit in obſidione,
Ne vel tæderet Proceres in tempore treugæ
Vel belli, ſi qui pro vulneribus remanerent
In caſtris: ludus qui caſtris aſſimilatur,
Inventor cujus mirè laudandus in illo eſt:
Sed cauſam laudis non advertunt niſi pauci.
Quàm ſubtile fuit ſpecies ſex præmeditari.
Saltus in campis quos tantum multiplicare
Poſſemus quod ab initio nulli duo ludi
Omnino ſimiles fuerint. Advertite pauci

Quod ſicut vultus hominum ſibi diſsimulantur
Hactenus in tantum quod nõ fuerint duo, qui non
Diſtingui poſſent, cum tanta diſparitatis
Cauſa ſit in cœlo, quia cœli nulla figura
Eſt alii ſimilis tanta alternatio motus,
Quem ſeptem faciunt per bis ſex ſigna planetæ
Et tamen eſt numerus finitus motibus ipſis,
Sicut & aſtrorum domini ſcripſiſſe leguntur.
Sic ludus factus motus cœleſtis ad inſtar
Eſt ex finitis ſaltus ſpeciebus in agris,
Infinita tamen eſt multiplicatio ludi.

XXXI.

Sex ſpecies ſaltus exercent, ſex quoq; ſcaci,
Miles & Alphinus, Roccus, Rex, Virgo, Pedesq́;.
In campum primum de ſex iſtis ſaliunt tres,
Rex, Pedes & Virgo. Pedes in rectum ſalit atq;
Virgo per obliquum, Rex ſaltu gaudet utroq;.
Ante retróq; tamen tã Rex quàm Virgo mouẽtur:
Antè Pedes ſolum, capiens obliquus in ante,
Cum tamen ad metam ſtadii percurrerit, ex tunc
Sicut Virgo ſalit. In campum vero ſecundum
Tres alii ſaliunt, in rectum Roccus, eiq;
Soli conceſſum eſt vltra citráq; ſalire.
Obliquè ſalit Alphinus, ſed Miles utrôq;
Saltum componit. Cœli veniamus ad inſtar.

XXXII.

Campos ſigna, modos ſaliendi ſcito, planetas,
Rex eſt Sol, Pedes eſt Saturnus, Mars quoq; miles,
Regia Virgo Venus, Alphinus Epiſcopus ipſe eſt
Iupiter, & Roccus diſcurrens Luna. Quid ergo

Mercurius? nunquid non omnibus omnia? certe
Omnia Mercurius, cujus complexio ſemper
Eſt convertibilis ad eum, cui jungitur ipſe,
Sicut & aſtrorum domini ſcripſiſſe leguntur.
Aut quia Mercurii complexio frigida ſicca,
Sicut Saturni, licet intensè minus. Ex quo
Pervenit ad metam Pedes, extunc Mercurii fit,
Præſertim quia tunc ſalit ut Virgo, Venerisq́;
Mercuriiq́; locus doctrina quæritur una,
Et medius curſus eſt idem ſemper eorum,
Sicut & aſtrorum domini ſcripſiſſe leguntur.
Nobilis hic ludus nulli ſuſpectus, & omni
Perſona licitus, moderatè dum modo ludat,
Dum modo quæratur victoria ſola per ipſum
Non lucrum, nec cum prædictis annumeretur.
Cum deciis autem qui primus luſit in illo,
Fœdavit ludum, languebit namq́; ſatelles
Immotus, niſi ſors deciorum moverit ipſum,
Nec fuit hoc factum, niſi vel quia non niſi pauci
Ludere noverunt tractim, vel amore lucrandi.

XXXIII.

Sunt alii ludi parui, quos ſcire puellas
Eſſe decens dixi, ſed parua monere pudebat.
Nuncq́; magis quã tũc pudet illa minora referre.
Quare prætereo ludos, ubi parva lapillos
Nunc bis ſex, nunc vero novem, capit una tabella.
Ac ubi ſunt bis ſex, capit ex hoſtilibus illum,
Vltra quem ſalit alteruter, nec ibi deciorum
Exigitur jactus. Vbi vero novem, bene ludunt
Cũ deciis, & eis ſine quando volant. capit autem
Vnum quem mavult ex hoſtibus iſte vel ille

Quandocunq; poteſt tres continuare ſuorum.
Iſtos & ſimiles (nec enim modo proſequar omnes)
Prætereo ludos, veniens ad nobiliores.

XXXIV.

Ah vtinam ludus ſciretur rithmimachiæ,
Ludus arithmeticæ folium, flos, fructus, & ejus
Gloria, laus & honor; quia totum colligit in ſe
Ludus, ubi bellum diſponitur ordine miro,
Campis ingeminis congreſſio fit numerorum
Quatuor imparium, qui ſunt in limite primo,
Cum totidem paribus, qui limite ſunt in eodem,
Principio numeri numeris non communicato.
Octoq; ſunt iſti patres utriusq; cohortis.
Auxiliatores nam parti dantur utriq;.
Primo multiplices quia ducto quolibet in ſe
Quadrati ſubduntur eis, quibus ordine bino
Subſunt ſupra particulares adjicientes
Toti particulam dictam patris à quotitate,
Hiis alii ſubſunt, qui particulas ſuperaddunt
Dictas à numero vincente patris quotitatem
Vno, ſed numero patris æquales quotitati
Ordoq; binus eis Numeros hinc inde tabellæ
Seu ſcaci portant, & ſunt acies bicolores
Ad diſcernendum, præſertim cum paritas &
Imparitas mixtæ ſibi ſunt in utraq; cohorte.
Diſtinguuntur item ſcaci tabulæve figuris.
Hii trigonis, hii tetragonis, illiq; rotundis.
Scilicet, ut ſcaci numeros utrimq; rotundi
Primos octo ferant: trigoni ſunt octo ſequentes:
Tetragoni reliqui, niſi quod duo ſunt ibi Reges
Pyramidalibus ex numeris, ideo quoq; ſcaci

Pyramidales ſunt: & habet pars utraq; Regem.
In caſtris parium nonus decimus locus unam
Perfectam dat pyramidem: ſenarius in ſe
Ductus pyramidi baſis producit eidem:
Totaq; pyramis eſt nonagenarius unus.
At locus imparium decimus bis pyramidem dat
Ter curtam, cujus baſis octonarius in ſe
Ductus producit; quam pyramidem coadunant
Centenarius & nonagenarius una.
Iſtæ pyramides ſunt Reges hiis aciebus,
Et ſunt ex numeris quadratis omnibus ambæ;
Quod potes ex tabula ſubjecta noſcere planè.

Deeſt figura.

XXXV.

Oh utinam multis numerorum pugna placeret!
Quæ ſi ſciretur, placidam ſe redderet ultro.
Sed matheſis vix inveniet qui jam velit ipſam.
Omnes declinant ad eas, quæ lucra miniſtrant:
Vtq; ſciant diſcunt pauci, plures ut habundent.
Sic te proſtituunt, ô virgo Scientia; ſic te
Venalem faciunt caſtis amplexibus aptam;
Non te propter te quærentes ſed lucra per te,
Ditariq; volunt potius quàm philoſophari
Cum ſit eis operæpretium plus quàm eſſe, videri.
Garrit enim, qui necdum nomina novit equorum.

XXXVI.

Tempus erat cū Philoſophos Reſpublica quondam
Quærebat magnis in ſumptibus utilitati
Communi vigilans, & eos tractabat honeſtè,
Vt ſibi conſulerent ſummis in rebus agendis.

Digitized by Google

Tunc viſum ſenioribus eſt in qualibet urbe
Vt patruos dociles ex patribus ingenioſis
Eligerent mittendos ad gymnaſia, cauſa
Diſcendi, quibus ad victum ſtipendia grata
Præſtarent urbs quæq; ſuis, & ibi faciebant
Diſcerni per judicium phyſiognomicorum,
Quæ quibus ars diſcenda foret. Sic ars ſua cuiq;
Aſſignabatur; ſic juſſæ quilibet arti
Semper adhærebat, & in una quemlibet eſſe
Perfectum ſat erat, nec eam mutare licebat.
Tunc viguere artes, perfectè cognita quæq;
Tunc erat, & poterat perfectè poſteritati
Tradi, ſcribendiſq; libris pars magna vacabat.
Tunc matheſes ſolæ doctrinæ nomine dignæ
Scitores habuere ſuos. Tunc utilitatis
Quæq; quid afferret clarebat apud ſtudioſos;
Qualiter in magno regnat menſura, ſciebant;
Qualiter in multo numerus; per quæ duo motus
Demonſtrabilis eſt. Proportio conſona circa
Hæc tria verſatur, quæ quatuor ulteriores
Ad diſciplinas ſunt introductio certa,
Vt pote quæ claves portant ad eas reſerandas,
Declarantq; vias cauſarum & principiorum.
Sed nunc vix modicum de qualibet arte moderni
Deguſtant, & vix à limine quamq; ſalutant;
Sed vacui veniunt ad eas vacuiq; recedunt.

XXXVII.

Philoſophis, quoad hæc, prudentior eſt laicorum
Cura, miniſterium cœptum unoquoq; ſequente;
Et ſua connumerant inter proverbia, quod qui
Pluribus intendit nunquam ditabitur. Inde

Digitized by Google

Nonne magiſterio deberent ergo vacare
Vni, majores operas ubi reddere oportet,
Quàm multis in mechanicis? Sed philoſophia
Exilium patitur, & philopecunia regnat.
Reſtitit una tamen natarum Philoſophiæ,
Libera ſed non eſt, quoniam captiva tenetur.
Juſtitia vivente ſolet florere pudicum
Rhetoricæ ſtudium: nunc ad prætoria proſtat,
Quò rudis adveniens de rure vocatus ad urbem
Cogitur ad linguam proclamatoris emendam
Ne ſit in emenda: tamen emptā nō habet, immo
Nullus ei damnoſior adverſarius illo eſt,
Quem reputat cauſæ tutorem ſive patronum.

XXXVIII.

O miſerande, tuam plus diligit ille monetam
Quàm cauſam. Non curat enim, quantum tibi conſtat.
Dum modo lucretur, nec te fore ſuccubiturum
In cauſa metuit, proponit frivola multa
Iuraq; ſubvertens cauſam protelat in annos
Ac immortalem litem facit, ut tua carpat,
Qui pacem pro dimidio ſumptus habuiſſes.
Ruſtice ſtulte tibi multum eſt ſua cara Camœna,
Æqui voceq; ſibi multum eſt tua cara Crumena.
Ruſtice componas, de componendo ſuum ne
Quæras conſilium, quia non eſt pacis amicus.
Sic te proſtituunt olim juſtiſſima virgo,
Quæ non debueras exponi taliter iſtis
Captivis, qui te captivant non modo captant;
Et quia non captant, captiuari meruiſſent.
O quàm ferventer tales hodie ſequerentur
Alkimiam, cujus fructus ditatio tanta!

Digitized by Google

Sed

Sed præcellit in hoc aliis, quod nullus in ipſa
Hactenus obtinuit, qui propter habere ſtuderet.
Sic dedignatur cupidos largiſſima virgo.

XXXIX.

Culpa tamen magna eſt Magnatũ, quos hodiernis
Temporibus populus in qualibet eligit urbe.
Quod ſi non fuerint populi concordia vota,
Aſſumuntur de populo quidam ſeniores,
Qui populi vice præficiunt concorditer unum:
Vel ſi diſcordes ſint inter ſe, quia pro ſe
Quilibet aſpirat, nec ſe bene compatiuntur
Livor & ambitio, quamvis in utroq; duorum
Eſſe ſimul poſſint, tandem diſcordia concors
Fit, quia concordant diſcorditer, & fit ab illis
Tertius electus, qui forte eſt pejor utroq;.
Sic indignorum creat indignatio quemdam
Forte minus dignum. Sic ſe collidere poſſunt
A ſe colliſi, placeat cùm neuter utriq;.
Sicq; vides quod ubi corregnant ambitioſus
Livor & ambitio livens, non ambitioni,
Succumbit livor ſed inebriat ambitionem.

XL.

Ille putas, qui ſic adipiſcitur hoc anabatrum,
Cujus habet turpem promotio reproba cauſam,
Qui non pro meritis, ſed ut invidiæ ſatagatur,
Præficitur, populo bene ſit futurus & urbi?
Abſit: ſed ſimiles factoribus & ſibi, ductus
Irrationali quadam ſimili ratione
Factus ab indignis indignos promovet, & non
Attendit meritum, patriæ nec penſat honorem,

Indi-

Indigenas ut amet & honoret, præcipuè quos
Exornant mores, ditat ſapientia, dotat
Eloquium, ſed eos ſublimat, quos ſibi jungit
Linea ſanguinis aut contractus amicitiarum
Aut ſpes obſequii. Sane promotor amici
Eſt laudandus, ſed plerumq; pecunia talem
Nectit amicitiam, quæ nec meruiſſe videtur
Nomen amicitiæ, niſi detur ei per abuſum.
Quod ſi rem Dominus tali committit amico,
Furtum in re Domini talis committit amicus.
Vltio digna quidem: nec enim decreta Deorum
Sic immutari poſſunt, quod ſordida præda
Procedat, vel ſit laudabilis exitus eius.
Iſtos indignos indignus promovet iſte,
Indignisq; ſuis poſtponit amabiliores,
Indignosq; ſuos ditando præordinat illos
Ordine perverſo, qui palpant blandius ipſum.
Culpaq; ſic magna eſt Magnatũ, quod perierunt
Artes. Nam quoniam ſublimant deteriores,
Deſperant multi, nec ſcire ſtudent ſed habere.

XLI.

Sed quia de ludis fiebat ſermo, quid illo
Pulchrius eſſe poteſt exercitio numerorum,
Quo divinantur numeri pleriq; per unum
Ignoti notum, ſicut ludunt apud Indos
Ludum dicentes Algebræ Almucgrabalæq;?
Inter arithmeticos ludos pulcherrimus hic eſt
Ludus, arithmeticæ praxis; deſcriptio cujus
Plus caperet, quam ſufficiat totus liber iſte.

Digitized by Google

OVIDII NASONIS PELIGNENSIS.

DE VETVLA.

Liber primus explicit: incipit ſecundus,

In quo aſſignat cauſas, quare mutaverit modum ſuum vivendi.

I.

Talibus atq; aliis, ludo excepto deciorum,
Sontibus à curis cum relevare pararem,
Non tamen à cura, care relevabar amice:
Solum felicem ſuper omnes eſſe putabam,
Qui quotiens vellet cognoſcere poſſet amicam:
Solum laudabam, cui vim natura dediſſet,
Vt quotiens vellet cognoſcere poſſet amicam.
At nunc ſemiviros laudo, quibus has modo vires
Componentibus à primis natura negavit,
Sive quibus ſolitis thalamos violare pudicos
Deprenſis in adulterio genitalia membra
Iracunda manus ſponſi violenter ademit,
Sive quibus ruptura ſiphac ita magnificari
Cœpiſſet, quod non prohiberet in oſcea caſum
Inteſtinorum, vel tantus ad ova veniret
Fluxus aquæ putris ſtomacho mandante, quod ultra
Herniam patiens non poſſet onus tolerare,
Aut aliis cauſis ita computreſceret ovum,
Ne fieri poſſet quin crudeli medicina
Ova retidiſſet medici reprobabilis uſus.

II.

Iſtos ſemiviros nunc laudo, ſcilicet iſtos
Dicere. nam dubium an ſit ſemivir iſte vel iſta.
Iſta quidem non eſt, quia vulvam non habet: Iſte
Non eſt, quoniam talis defectus devirat. Ergo
Sit neutrum. tamen hoc nihil ex animalibus um-
quam
Eſſe poteſt, niſi ſit hic aut hæc. Si nihil horum,
Eſt ſpado. jam non eſt animal: nec enim ſine ſexu
Eſſe poteſt animal. Igitur non eſt animal. Sed
Non eſt non vivens. Ergo ſit planta. Quis umquam
Vidit fruſtratam fructu vel ſemine plantam?
Quod plus eſt, quis eam vidit radice carentem?
Quod radice caret, etiam frondeſcere neſcit.
Sperma foret ſemen, & fructus filius, atq;
Radix teſticuli, frondes circumdata ſilva
Mento; qua quicumq; caret, ſuſpectus habetur,
Ne ſit caſtratus vel frigidus. Eſt honor ergo
Barba viro, teſtis virtutis teſticulorum,
Spermatis augmenti ſignum, fiducia fructus.
Econtra ſi teſticuli deſunt, generandi
Spes periit, quia ſperma deeſt, barbáq; caret, vel
Eſt cariturus ea, folium quia defluet ejus.
Eunuchus porro cum non ſit femina, non vir,
Non animal, non planta, quid eſt? non eſt ſine
vita.
Ergo quid eſſe poteſt? nihil eſſe poteſt, niſi mon-
ſtrum.

III.

Monſtrum Grammaticæ, quia declinabile cum ſit
Cum caſu, nullus ſibi congruit articulorum,

Cum ſibi præponi nullus per ſe queat, ut ſit
Hic, aut hæc, aut hoc, nec ſit commune, nec omne,
Nec modicum. miror, cùm nō habeat genitivum,
Cui ſua congreget: & quare placeat ſibi tantum
Ablativus caſus, diſpliceatq́ dativus.
Et quia nullius fieri conſtructio partis
Hac cum parte poteſt, non eſt oratio, quæ ſit
Huic parti totum, ſed pars eſt & ſine toto,
Abſq; relativo ſibi reſpondente relata.

IV.

Vt non ſolius ſit monſtrum Grammaticæ, ſed
Inveniat Dialectica, quid miretur in ipſo,
Non ſolum quod abeſt alterna relatio, ſed quod
Sic eſt mirivocum, quod non cadit in genus; & quod
Non cadit in ſpeciem, cui non individuorum
Quicquam ſubjicitur, cui carnem dividat; & quod
Nec ſpecies ſpecioſa, genúsve ſibi generoſum;
Degener immò genus, ſpecie ſine, dividit ipſum
A cunctis, quibus eſt cordi generatio. cujus
Et genus & ſpecies ſunt monſtra. magis quoque monſtrum
Eſt individuum, digito monſtrabile monſtrum.

V.

Monſtrum Rhetoricæ, quia judicis officio ſi
Fungatur, crudelis erit. Si rhetoris utens,
Themate truncato cauſam non inſtruet, & ſic
Non perſuadebit. nec enim facundia grata
Ejus, qui ſtandi perſonam judice coram
Non habet, eſſe poteſt quocunq; ſit uſa lepore.
Ac infecundi eſt omnis facundia pauper.

Digitized by Google

VI.

Rurſus apud Matheſes idem monſtrabile mon-
ſtrum,
Cui de ſubjecto concludi paſſio per ſe
Nulla poteſt, nec diffinitio ponitur ejus
In medio, quia deficit in medio, neq; novit
Credere ſuppoſito, vel conſentire petito,
Et nulla dignitatis virtute juvatur.
Et quia bis duo ſunt, ubi demonſtratio regnat
Præcipuè, motus, numerus, menſura, ſonusq;,
Invenies in eo, quo ſit per ſingula monſtrum.
Deficiente ſibi numero pare, cum pare ſe non
Menſurare poteſt, motumq; perhorret amicum,
Quem ſi temptarit, tandem lyra murmurat ani.

VII.

Monſtrum Naturæ, rerum mutabilium, quæ,
Cùm ſit principium motus, mutabilitatem
Tantam non novit, nec tantum prodigioſam,
Sicut in Eunuchum *ſi mutatus fuerit vir,*
Solo in quo natura poteſt vacuum reperire,
Aut infinitum, primum propter ſpoliatos
Folles, & reliquum propter fines mutilatos.

VIII.

Monſtrum Naturæ, ſed præcipuè quoad illam
Partem, quæ corpus regit humanum. quia ſanus
Non eſt, aut æger: impoſſibiliſq; reduci
Ad medium, quia deficit in medio, neq; ſupplet
Defectum medicina ſuum, nec jam cõplexio dici
Digna, per antiphraſim, niſi ſit complexio dicta.

IX.

Eſt etiam monſtrum Morale, niſi quia mores

Dicen-

Dicendi non ſunt, ubi tam perverſa voluntas
Regnat, tam nequam, tamq́; invida. nam ſtatus ejus
Tam vilis nequit invidiæ livore carere.
Nec bene velle poteſt, qui nequior eſt ſuper omnes.
Nam manſuetudo morum eſt ſpecialis alumna.
Et quia cum mulis id habent commune ſpadones,
Quod ſteriles ſunt ambo, ſic homines ſpado vincit
Nequitia, ſicut animalia cætera mulus.
Et dicunt etiam, quod naturaliter omnis
Eſt piger eunuchus, & quod timidusq́; rapaxq́;.
Quod piger & timidus, præſumentes ideo quod
Vultus rugoſus vetulæq́; ſimillimus, & vox
Exilis, perhibent animum non eſſe virilem.
Quodq́; rapax, per idem; quia qui timidusq́; pigerq́;,
Sic in egeſtate labi timet, ut latro fiat.
Porro rapax, timidus, nequā, piger, invidus, in ſe
Virtutem quod habere queat, non eſt leve credi:
Præſertim, ſicut ſcribunt Ethici, quia virtus
Nulla poteſt, ſi non omnes habeantur, haberi,
Nec cum tot vitiis habitare vel unica poſſet.
Sane ſunt aliqui, qui caſtos eſſe ſpadones
Propterea reputant, quod non ſunt luxurioſi.
Sed non ſunt, quoniam caſti ſunt, qui patiuntur,
Nec deducuntur; qui vero non patiuntur,
Sunt inſenſibiles multum à virtute remoti.
Quod ſi de ſtudiis, quod plus reputatur ineſſe,
Non inſit, nec ineſt, quod ineſſe minus reputatur.

X.

Amplius eſt Metaphyſicum monſtrum ſpado. nam non

Solùm impoſsibile eſt,quod perducatur ad actum;
Sed nec adeſt ipſi quæcumq; potentia,ſive
Longinque præcedens actum,ſive propinque.
Præterea ſubjectum non habet eſſe, vel in quo,
Vel de quo dici poſsit; nec taliter unum
Eſſe poteſt,quod multiplicatio ſurgat ab ipſo.

XI.

Poſtremò monſtrum nihilo minus eſt apud illos,
A quibus inveſtigatur natura Deorum,
Quos imitatores dicunt legis poſitivæ,
Qui ritus ac hiſtorias veterum venerantur.
Arbitrio gens quæq; ſuo diverſa ſecuti.
Monſtrum faſtorum, quia ſi ſpado forte ſacerdos
Efficiatur,erit ſic iſte vel iſta ſacerdos,
Vt dici poſsit,ità neutrum ſicut utrumq;.
O quicumque Deus, cujus templo dominatur
Tam deforme pecus,cujusq; effeminat aras.
Si Deus eſſe poteſt infortunatus eorum,
Infortunatiſsimus es,pro quo reperiri
Non potuit de tot modo milibus integer unus.
Rictus ei,non riſus ineſt,& ſacrificari
Deberet certe potius quàm ſacrificare.
Cui tamen ex ſuperis holocauſtum tale placeret
Turpe pecus mutilum,quod porca fœdius, hirco
Fœtidius? niſi forte ſuas ut liberet aras,
Quas miſerabiliter ementulus occupat iſte,
Compenſare velit,clavumq; retundere clavo,
Turpe miniſterium redimit dum victima turpis.

XII.

Monſtrum Faſtorum,quem cum fas pontificare
Nuſquam ſit, minus eſſe poteſt ibi fas, ubi rerum

Digitized by Google

Summa gerendarum reſidet cum pontificatu.
Quod legiſſe potes in quodam Codice, cujus
Omnia ſupponens nihil omnino probat auctor,
Ac ipſum pro lege tenet gens credula quædam,
Exemplar quibus eſt vivendi vita priorum.
Eſtq; fides ſua, quod ſequitur primogenituram
Jus benedicendi. Benedictus à patre tali
Fit dominus fratrum, talesq; vocat Patriarchas.
Nec falluntur in hoc, veram probat eſſe fidem res.
Nam plerumq; vident dominari fratribus illos,
Quos aliis præfert patrum benedictio. terræ
Semper habundantes pinguedine, roreq; cœli.

XIII.

Imbenedicibilem lex innuit illa ſpadonem
Exemplo quodam famoſo. Nam ſpado cum ſit
Voce Jacob, manibus non eſt Eſau, neq; tutus
Comparere poteſt coram patre, ne pater ejus
Colli nuda manu pertractet, & abſq; piloſis
Pellibus inveniens putet illudi ſibi velle,
Ac indignatus, maledictum pro benedicto
Inducat, quoſcumq; cibos præſentet eidem,
Iratusq; repellat eum, paſſiq; repulſam
Et deſperantis facies ignara rubere
Palleat, & demum deſit benedictio, tantum
Exoptata diu tanto conamine tamq;
Ferventi deſiderio quæſita, licet non
Quæratur pro ſe, ſed cœcus amor dominandi
Concomitatur eam. quam qui ſic acriter ambit,
Intendit prodeſſe parum, multumq; præeſſe.

XIV.

Digitized by Google

Heu ſi ſubjectos habeat, correctio quorum

Spectet ad ipſius examen, quàm male lapſis
De paſtoris erit proviſum conditione.
De lapſu carnis dico, cujus quia motus
Hic ſpado non ſentit, labentes deſpicit. unde
Tale nihil paſſus paſſis non compatietur.
Oh utinam, quia non attendit onus, ſed honorem
In Prælatura, numquam pertingat ad illam!
Quem tamen infauſte Moyſes ſi pontificaret,
Veſte videretur Aaron, vultuq; Maria.

XV.

Talia monſtra modo laudo, quia vivere poſſunt,
Femineoq; carere thoro. Quamvisq; ſolerem
Felices ſolos coitu reputare potentes,
Felices ſolos reputo ceſſare coactos.
Venerit unde mihi ſubito mutatio tanta,
Diſcite vos, quos ferre jugum faſtidit amoris.

XVI.

Vnus erat toto naturæ vultus in orbe,
Virginei floris decorum decus, unica ſexus
Gloria feminei, quæ naturalibus & quæ
Gratuitis dotata bonis florebat, eiq;
Fortunæ bona non deerant: adeo quod in una
Tot bona perſonam concurrere non meminiſſem.
Tres credi poterant in ea certaſſe ſorores
Muneribus, Natura potens, & Gratia larga
Non exſpectatis meritis, Fortunaq; nulli
Conformis, largis ſed avara & prodiga parcis.
Quamvis detur in hac inſtantia virgine, cui ſe
Reddiderat præter ſolitum multo meliorem,
Quam multis aliis, multis alii meliori
Largiflue ſibi dans & opes & nobilitatem,

Digitized by Google

Qui

Cui natura tamen dederat longe meliora
Corporis & animæ bona ſcilicet. hinc quia nulla
Conferri poterat ſibi moribus ingeniòve,
Inde quidem in toto, prout æquore clauditur, orbe
Non erat ulla ſuæ ſimilis præſtantia formæ,
Non erat ulla ſuæ ſimilis dulcedo loquelæ.
Quid quod in omnibus hiis addebat gratia tan-
tum,
Quod faceret ſemetipſis meliora videri
Singula, judicium juſtum vincente favore?
Certius & quamvis oculorum judicium ſit,
Non tamen in lingua ſeu pectore ſic favor ipſe
Vincebat ſicut in forma: non aliorſum
Sic apparebat victoria. Forma moveret
Hippolytum, ſi non oculos ſibi tollere vellet.

XVII.

Verum cur ad eam laudandam particulatim
Deſcendiſſe velim: cur ad præconia cuique
Debita membrorum modò deſcribenda laborem?
Omnis eis minor eſt deſcriptio. ſingula luſtres,
Singula ſunt meliora ſatis, quàm dicere poſſem.
Sed quoniam meminiſſe juvat tot divitiarum
Formoſæ dotis, modicum per ſingula libans
Membra ſigillatim diſcurro, ſingula mirans
Ad quæ luſtrator oculus permittitur ire.
Singula contendunt ſe vincere, cum tamen unũ
Omnibus aſpectum præſto ſimul, omnia ſumma
Pace reformata & ſopita lite quieſcunt,
Sic ſibi reſpondent alterno cuncta nitore.

XVIII.

Digitized by Google

Silva capillorum ſupereminet, atque rotundum

Circumplexa caput claro præfulgurat oſtro,
Fulgori cujus radians color invidet auri.
Sed poſtquam dominā nutrita diu gravat, illam
Colligit in torquem, ſub quadam lege coërcens.
Hac à lege tamen remanent ad timpora quidam
Exempti brevitate ſua, criſpedine rara
Connexi, volitantq́; vago ludente reflexu.
Frons ſpatioſa parū convexa, manus Deus ambas,
In qua plananda poſuit, non ſufficiente
Alterutra manuum: candorem lilia cujus
Non vincunt, non æquat ebur, non florida cignus.
Nigra ſupercilii ſinuoſaq́; linea criſtæ
Exigui declivis utrimq; ſuperjacet, inter
Vicinos quodam limato limite pacem
Concilians, dum jure ſuo concedit utriq;
Vti, diſtinguens à fronte ſitus oculorum.
Inter utrumq; tamen, ubi fronti continuatur
Naſus, tam naſo quàm fronte ſuperciliisve
Plus depreſſa parum diſcriminat areà quædam
Nuda pilis, candore potens æquare liguſtra.

XIX.

Subſidet hiis regio ridens & læta, gemellos
Quæ ſpeculatores fovet hoſpitio ciliorum
Intus pupillam vario cingente nigellam.
Exhilarat circumgyrata rotatio vultum
Occultans oculos circumſtat ibi ſeriatim
Palpebra, ne lædat extrinſeca cauſa ſuperbos
Ac indignantes, & ſemiſphæria nutu
Claudit laſcivo, qui munera ſpondet amoris.
Pure nec aut lacrimis oculorum ripa madeſcit.
Naſus in exceſſum nullum ſe tranſvehit, ut ſit

Digitized by Google

Longus vel curtus, aquilus, ſimúsve, nec ullam
Tractus in obliquam portendit proditionem.
Nec ſtillas cerebri naris cava pandit hiatu,
Nec libertatem negat halitui, neq; ricta
Paſſibiles auras triſti fœtore minatur.
At modicum conſurgit apex hinc inde genarum;
Punica malorum vincens fragmenta colore
Lilia mixta roſis in eo certare putares.
Conficiunt etenim niveus roſeusq; colorem
Vnum, ſic tamen ut rubeus vincatur ab albo.
In quibus & quædam domina ridente creantur
Foſſiculæ, tantum quæ manſuetudinis addunt
In læta facie, quòd conceſſura videtur
Quicquid eam ſibi conveniens perſona rogaret.
Et modo cæſaries modicas in ſeq; retortas
Contegit auriculas, modo caſtigatur ab illis.

XX.

Bucca brevis, ſola brevitate notanda, niſi tunc
Cum ridet. Tunc namq; ſtatum redit ad medio-crem.
Labra tument modicum, ceraſorum invicta rubore
Collectorum acri poſt imbrem Sole ſecuto.
Quæ cum ſint inverſa parum, ſe velle parare
Seq; offerre videntur ad oſcula ſuſcipienda.
Sed domina ridente, loquentéve, ſeve cibante
Intus cujuſdam ſpectabilis ordo cathenæ
Clarior argento vivo ſe viſibus offert,
Diſpoſitis ibi dentibus in ſerieq; locatis
Firmis, conſertis æqualibus atq; minutis.
Terminus inferior faciei mobile mentum
In collem ad collum collatum, colliculumq;

Digitized by Google

Ad labra ſe tollit, ad utrumq; tamen moderatè
Collum tam planum quàm plenum. Non ibi nervi
Corda riget, non vena tumet, cujus cutis omni
Aſperitate caret, nec fœdat eam maculoſa
Menda, ſed eſt nive candidior, niſi credulitatem
Frangat hyperboleos laxata licentia tantam.
Blanda manus facilem ſe præbet ad omnia, cujus
Eſt digitus gracilis, plenus, tornatilis, æquus,
Proq; modo longus, vola lactea, lucidus unguis.

XXI.

Cætera ſunt præcluſa mihi, tegit omnia veſtis.
Divinare tamen licet, & per viſa gradatim
Ad non viſa venire: putando quod hæc meliora
Sunt illis viſis, & quod captabiliora.
Sed conjectura cum ſint mihi cognita ſola,
Sub quadam gaudent pertranſiri brevitate.
Pectore compreſſo, ſurgente tumore gemello;
Vbera conjicio duo parvula dura recurva;
Ac ſi complexu ſe velle premi fateantur,
Et complexuro ſe velle occurrere ſponte.
Brachia longa quidem, ſubtilia, mollia, plena.
Deſuper acclives humeri, rectiq; retrorſum.
Corpus procerum: pingues habitudine lumbi,
In trophio graciles: clunes humiles ſatis amplæ.
Nobilitas crurum curvato poplite; peſq;
Tam brevis, in medio ſinuoſus, rectus inante.
Præ cunctis perhibent partem pollere cupitam.
Et puto quod nullus cultus nullusq; paratus
Aptior eſſet ei, quàm ſi ſine veſtibus eſſet.
Oh utinam nudam videam, ſi tangere nudam
Non eſt fas; ſaltemq; ſemel, ſi non datur ultra!
Parva locutus ſum, quia ſufficientia verba

Digitized by Google

Non ſunt ad tantam ſpeciem. Deſcriptio nulla
Notificare poteſt, quantis ſi vellet amari
Deliciis, quantisve jocis ſed redderet aptam.

XXII.

Hauſerat hanc oculus cupidus meus invidioſam,
Et collaturo ſuggeſſerat omnia cordi.
Cor nimis audacter cœpit ſperare, quod illam
Aut verbis aut muneribus convertere poſſem.
Et præter ſolitum cùm verbis munera danda
Diſpoſui, ſi non oblata prius valuiſſent
Verba, quibus totiens tot pectora ſollicitaram,
Abdita paulatim ſcintillula crevit in ignem
Immenſum, totas jam poſſeſſura medullas.
Sed locus & tempus non concurrere loquendi,
Præſertim quia nimirum materq; paterq;
Excubiis multis & ſollicitudine multa
Vallabant ipſam, ne ſubduci ſibi poſſet,
Blanditiis ſi fortè levem concederet aurem.
Quid facturus eram? quærenda fuit mediatrix,
Mutua verba loqui quæ poſſet utriq; viciſſim,
Et facunda foret, & ſuſpicione careret,
Ambos ut nullo mirante liceret adire.

XXIII.

Talia cùm vigili cura meditarer apud me,
Totq; revolviſſem vetulas, & ſæpe diuq;
Singula libraſſem luſtrans urbem ſpacioſam:
Occurrit tandem, quòd erat paupercula quædam
Linguipotensq; meæ vicina ſororis, apud quam
Sæpe dabatur ei cibus intuitu pietatis,
Et fuerat quondam dilectæ ſedula nutrix.
Digitized by Google
Hanc ratus eſſe mihi præ cunctis utiliorem,

Aggredior verbis propono probabile thema,
Plurima promittens bene ſi celaverit, & ſi
Prodiderit, ſubjungo minas. Rationibus illa
Se primùm excuſat, ventura pericula pandens.
Me miſeram (dicit) rem ſi ſciret pater ejus,
Quid factura forem? cujus mortis genus, aut quas
Exciperem pœnas? etiam tu forte negares
Tunc juſſiſſe mihi, nec ſubſidium mihi ferres.
Obſecro per ſuperos, ne ſollicitaveris ultra
Me ſuper his. in pace meam finire ſenectam
Me rogo permittas. magis eligo vivere tuta,
Sufficiatq́; mihi paupertas hæc mea, paucis,
Quos mihi concedunt fatalia penſa, diebus,
Quàm pro divitiis adeam cum ſanguine manes.
Eſto quòd evadam. magis eligo vivere tuta,
Quàm metui tanto tua me promiſſio ſudat.

XXIV.

Tunc ego, quanto plus reddebat difficilem ſe,
Tanto ſpem per eam vincendi concipiebam
Majorem, tanto plus inſtandum fore ducens,
Et monſtrans quòd res à parte ſua ſine culpa
Sciri non poterat. nec enim ſe proderet ipſam
Tam bona, tam prudẽs, tam circumſpecta puella.
Attendi tandem, quòd eam promiſſa movere
Non poterant ſine muneribus, tunc exuo morem,
Munera multiplico, ſatagens promittere plura.
Sic urgebat amor, ſic ad mea fata trahebat.
Ergo dare inſolito dandi modus abfuit omnis.
Do capram vini, do bladum, doq́; legumen,
Do pernæ partem, do peplum, do tunicam, do
Palliolum, do pellicium, do ſubareos, do

Digitized by Google

Tres ſpecies telæ pro camiſia facienda,
Quarum quæ melior collum tegit atq; lacertos,
Pectus habet mediam, ſed renes deteriorem,
Parsq; datur pejor parti quæ cuncta lucratur.

XXV.

Mox teſtata Deos furiis ſe devovet, optat
Damna ſibi, niſi vota fideliter exequeretur.
Itq; reditq; frequens, & narrat plurima. Primò
Cum quanta fuerit cautela nacta frequenter
Horam oportunam, quotiensq; retenta timore,
Qualiter intrarit nihilo minus, & modico poſt
Qualiter orſa loqui, qualem prætendere cauſam
Norit, cur ſpatio tanto non vidit alumnam,
Adq; ſuum quo propoſitum deſcenderit auſu,
Qualibus extulerint etiam me laudibus ambæ.
Addit præterea, qualem ſit paſſa repulſam,
Sed tamen urbanè. ſic me miſerum modo terret,
Spem modo dat tenuem. Quod ſi quando reprehendo,
Tu ſic debueras vel ſic dixiſſe, fidem dat,
Quod ſic dixiſſet, teſtesq; Deos vocat omnes
Quod non mentitur. Quid credam neſcio: credi
Cuncta neceſſe tamen. credo, quia credere oportet.
Sic me deducit verbis per tempora multa.

XXVI.

Fine ſuo res quæq; patet. Poſtquam vetularum
Mendaciſſima me totiens ambagibus actum
Jam non ulterius poterat perducere, quodam
Ingenio ſimulavit eam circumveniendam.
O precare meus (dixit), fiducia vitæ
Summa meæ, ſpes ſubſidii, baculusq; ſenectæ:

Perpendi quod te ſuper omnes diligat iſta
Virgo, ſed nulla id poſſet ratione fateri.
Quare fraude pia (ſed me miſeram, miſeram me)
Decipienda mihi eſt Faciam quod nocte notanda
Lota caput, comenda mihi retinebitur extra
Maternos thalamos; cunctisq; ſopore ſepultis
In camera parva, quæ dextra eſt ingredienti
Qua dormire ſolent ancillæ, ne pater ejus
Rumpat ea thalamos introgrediente ſoporem,
Reclinare caput compellam tuq; paratus
Poſt nonam noctis tenebris nondum tenuatis
Advenies. reſeraro fores, & merſero lumen
Lampadis, ac tacitè paulatim cardine verſo
Suſtentando quidem, ne perſtrepat, ingredieris;
In lecto nudam invenies. Tunc impiger eſto;
Si ſemel obtineas, fruſtrabere poſtea numquam.

XXVII.

Credulus & cupidus condictam præſtolor ægre
Noctem, multa timens & mecū multa revolvens.
Ergo die facto, quo nox erat illa futura,
Abluo me modicum, barbam pubemq; recido,
Dansq; brevi poſt meridiem mea membra ſopori
Præparor inſomnem noctem ducturus. & inde
Me cibo ſorbilibus, me muſto poto recenti.
Hinc ne dormitem, me libris apto legendis.
Providus ante tamen horologium moderandum
Duxi, quò veniens fieret mihi certior hora.

XXVIII.

Quæ ſimulac venit, candelæ ſuffoco lumen:
Incautus gradiens impingor in oſtia, frontem
Poſti collido, fœdatus ſanguine fuſo
Digitized by Google
Turbor & offendor, offenſus præcipito me

Perq́; gradus ſcalæ deſcendo non numeratos.
Tunc furiis me devoveo, furiis agitandum
Me reputo. nec enim niſi rarò ſola venire
Iſta ſiniſtra ſolent. ſuperos tamen invoco, fruſtra
Multa vovens faviſſe meis ſi ſenſero votis.
Verè non veniunt, niſi rarò, ſola ſiniſtra.
Atria nam ſolitus ſervare rudis neq; voti
Conſcius in ſero malè clauſerat oſtia portæ,
Turbaratq́; ſeram, quæ ſingula pœne furenti
Tam gravis auſpicii fatalia ſigna fuerunt.
Jamq́; mei malè compos eram, ſtrepituq́; cavendi
Cura mihi deerat. Confringo fores, & apertas
Dimitto, furtis exponens quicquid habebam.
Exeo, meq́; tot infortunia non revocabant:
Ad caræ procedo domum, quam vecte remoto
Sentio ſi tacitè faciam, mihi poſſe nocere.
Incipio fieri lætus, lateraliter intrans
Explorante manu cameram lectumq́; requiro.

XXIX.

En humili ſtrato quaſi ſomno preſſa jacebat.
Quanta putas interna meas dulcedo medullas
Tunc demulceret? quanto meus afficeretur
Tunc animus deſiderio, non eſt leve dictu.
Illicò tollo moras: omnis damnoſa videtur
Quantacumq; brevis mora temporis. ocius ergo
Abjicio veſtes. ſed & acceleratio tanta
Impedit accelerare meum. mora naſcitur inde,
Vnde moram vitare volens ſic accelerabam.
Abjicio veſtes, ſubitoq́; præoccupo nudam
Circumplexus eam. non ei divertere quoquam
Jam licet: omnis ei motus eſt forma negata.

Digitized by Google

Virginis artari ſic vult pudor, & ſibi parci
Si non parcatur reputat. Cum virgine noſtra
Sic decuiſſet agi, ſi præſens ipſa fuiſſet.
A cupido Jove ſic Semelen decuiſſet adiri,
Ipſaq; erat Beroë ſic à Jove non adeunda.

XXX.

Heu mihi, tanta meis regnans dulcedo medullis
Quàm modicum manſit! Reperi contraria votis.
Vertitur in luctam cithara ſonus, inq; ſtuporem
Deliciarum ſpes, moritur fax ignis amoris.
Si quid erat, quod epar ventoſo turbine miſſo
Fecerat arrectum, ſubitò languetq; caditq;:
Sopitur virtus, frigeſcunt omnia membra.
Credere quis poſſet, quòd virgo quatuor implens
Nuper Olympiades adeò citò conſenuiſſet?
Nunquam tam modico roſa marcuit. in nova formas
Corpora mutatas cecini, mirabilioráq;
Non reperitur ibi mutatio, quam fuit iſta:
Scilicet ut fuerit tam paruo tempore talis
Taliter in talem vetulam mutata puella.

XXXI.

Heu quàm diſſimiles ſunt virginis artubus artus.
Accuſant vetulam membrorum turba ſenilis,
Collum nervoſum, ſcapularum cuſpis acuta,
Saxoſum pectus, laxatum pellibus uber
Non uber, ſed tam vacuũ quàm molle, velut ſunt
Burſæ paſtorum: Venter ſulcatus aratro,
Arentes clunes macredine, crudaq; crura,
Inflatumq; genu vincens adamanta rigore.

Accuſant vetulam membrorum marcida turba,
Concitus exurgo, cœpi firmare quod illam
Appeterem ferro, ſed mens ad ſe revocavit
Virgineam famam, quæ ſcandala ne pateretur
Continui, quamvis omnis ſpes ejus habendæ
Jam diſceßiſſet. ſic dextra quievit, amorq́ꝫ
Extinctus vivum potuit ſuperare dolorem.
Nec fuit hoc modicum, quod deſperatus amavi:
Immo probatio ſumma fuit, quod dignus amari
Sum, qui ſic poſſum jam deſperatus amare.
Non tamen inveni, quæ vellet amabilitati
Reſpondere meæ; ſed non ideo minus iſti,
Quam non in culpa ſcieram, bonus eſſe volebam.

XXXII.

Expers conſilii vix veſtimenta reſumo.
Veſtimenta reſumo tamen, poſt meq́ꝫ recludo
Portam tam triſtis, quàm lætus in ingrediendo.
Adq́ꝫ domum veniens vix atria claudere poſſum,
Vix Cameram, ſine luce meo me reddo cubili,
Flebilis evolvo mihi quæ vindicta placeret.
Sed non invenio condignam. Si moriatur:
Omnis pœna levis, quam momentanea finit
Mors. Igitur vivat luitura diu ſcelus iſtud.
Sit mendica, manum non inveniens miſerantis.
Eſtoq́ꝫ ſi quid ei dabitur, modicumq́ꝫ malumq́ꝫ:
Panem nõ comedat, niſi quem dederit putre granum:
Non carnes, niſi de vetula ſue ſive leproſa.
Non piſces, quos non denuntiet undiq́ꝫ fœtor:
Nec vinum guſtet, quin ſit vel pingue vel acre.
Tußiat æternum, juncturas gutta fatiget;
Febriat abſq́ꝫ criſi, ſitis inſatiabilis adſit.

Adſit frigus iners, ſed & intolerabilis æſtus:
Si poſſint, ſint ambo ſimul, ſaltemvé viciſſim.
Fletus ei ſit continuus, lacrimaq́; perennes,
Singultus ſubiti, ſuſpiria crebra, frequenter
Oſcitet alicibus diſtenta rigoribus, atq;
Fœteat eructatio, non emungere nares
Poſſit, in os ſanies deſcendat tota cozite:
Nec ſpuat hoc etiam, ſed glutiat evomitura.
Nec veſica vel anus contineat vel urinam
Vel ſtercus, ſed continuò fluat ante retroq́;.
Nam poſt tale nephas mala tot non poſſet habere,
Quod mihi ſufficiens poſſet vindicta videri.

XXXIII.

Ecce ſuperveniens luctum dolor innovat, ecce
Virgo datur tædis, longinquas nobilis illam
Ad partes ſponſus traducit. Erat locus ille,
Ad quem nulla mihi veniendi cauſa dabatur.
Nec dum compereram ſibi ſi mea ſollicitudo
Tam mordax innotuerat, nec jam mihi tempus
Inveſtigandi, tot erant hiis tædia tædis.
O quicumq́; meam tecum traducis amicam,
De thorace meo mihi cor traxiſſe videris.
Sed prohibere patrem non poſſum, quin ubi malit
Sit jungenda, mea cum non interſit apertè:
Præ cunctis etenim ſecretò pertinet ad me,
Cum jungi nequeat, quin me disjungat in ipſa.

XXXIV.

At verò poſtquam viginti circiter annos
Cum ſponſo fuerat, partuq́; effœta frequenti
Et ſua jam facies diſpendia parturiendi

Digitized by Google

Senſerat, ecce diem ſupremum claudere ſponſum
Fata jubent. placuit primogenito remanente
Et pro dote ſua procuratore relicto
Ad patrios remeare lares. Occurritur illi
Omnibus à notis, conſanguineis & amicis,
Præveniens alios occuro longius illi
Et brevibus verbis ex ordine ſingula pando.
Subridens dixit; memini certe ſatis horum,
Excepto quod anum te ſuppoſuiſſe putabam.
Me teſtante Deos, quod anum non ſuppoſuiſſem.
Sed quid ais, meminiſſe juvat modo talia? nũquid
Jã ſumus ambo ſenes, quaſi nec complexibus apti?
Tunc inſtare volens, multis venientibus illi
Congaviſuris, vetor addere quæ decuiſſet.

XXXV.

Quodam mane meos me ſorte revoluere libros
Contigit, atq; locum veniens, ubi dicitur illud:
Præcipuè ſi flore caret, & cætera, riſi,
Perq; feneſtellam vidi dominam venientem.
A fortunatis prognoſtica multa videntur.
Præteritura meas erat ædes, ſeptaq; Solis
Monte Palatino læva de parte relicto
Tendebat, lauros tripodumq; oracula viſens.
Occurri ſatagens offerre domeſtica, ſi quid
Eſſet ibi placidum, vel ſi divertere vellet
Sub tectum noſtrum, modica recreanda quiete.
Subjunxit, non eſt modo tempus multa loquendi,
Sed mediatricem ſum proviſura fidelem
Ad te mittendam, cum ſe dabit inde facultas.

Digitized by Google

XXXVI.

Paulo poſt ad me ſecunda pediſſequa quedam

Mittitur, & ſecum precioſa jocalia defert,
Aurea cum gemmis miro fabrefacta paratu.
Hæc, inquit, dominæ ſunt illius, ſuus ad quam
Procurator heri pro nummis miſit habendis:
Sed quia tanta domi numerata pecunia non eſt,
Ad mercatores præſentia pignora mittit.
Aſt mihi comperte quod te non oderit, iſtac
In mentem venit divertere. ſcire ſed illam
Nollem quod per te veniſſem, neve putares
Quod te diligeret propter tua, ſed modo ſano
Credas conſilio. laudo quod, te penes ulli
Si modo ſunt nummi, retinere jocalia cures,
Et ſibi des mutuo. fingam quod me repedantem
Videris à menſis, & quod menſas adeundi
Quæſieris cauſam, qua comperta voluiſti
Sic ſibi ſuccurri, ſic cor furaberis ejus,
Pro certoq; tene quod ſit tibi grata futura.

XXXVII.

Erubui ſi non facerem, loculosq; ſigillo
Signavi plenos, retinere jocalia nolens.
Sic ubi quinq; dies jam tranſiviſſe notaſſem,
Nec de parte ſua rediiſſet nuntius ad me,
Eſſe poteſt dixi cum ſit res invidioſa
Nummi, quod nummos non dixerit hac habuiſſe
Sic à me, quia ſæpe locus committere furtum
Suggerit, & verè locus eſt occaſio furti.
Quod ſi commiſit, ne deprendatur in illo
Diſſuadebit ei, mecum ne quando loquatur,
Ne quæram ſi ſalva pecunia venit ad ipſam.
Quod ſi quæſiero, quid erit, ſi deneget illa?
Non habeo teſtes, nec erant teſtes adhibendi,

Debueram potius ſua pignora detinuiſſe,
Tunc nihil excuſaſſet eam quin faſſa fuiſſet
Cui dimiſiſſet tot pignora, quæ niſi nummis
Acceptis non debuerat dimittere cuiquam.
Sed nolui dominæ meæ ſic exponere largæ
Tam ſpecie quàm re, quod me cenſeret amandũ.
O ſi pœniteat, quod ab initio mihi tantum
Dura fuit! ſi pœniteat m hi ſufficit, immo
Vltiò nulla niſi talis delectat amantes.

XXXVIII.

Talia dicenti mecum ſe quæſtio gratis
Offert ſoluendam. Venit ecce pediſſequa ridens:
O felix (dixit) tua te præcara ſalutat,
Quodq́; tuam factum ſit commendabile dicit,
Plusq́; modus facto, grates tibi grata rependit,
Vtq; ſcias quod te propter tua nolit habere
Sed tua propter te, refero ſua pignora mecum,
Optio vult tua ſit, an ſint menſura penes te
Vel tecum referas veniens ipſa potiturus.
Quam citò nam poterit, pro facto credita reddet,
Proq; modo facti vult reddere nobile fœnus
Corporis optati. fœnus juvat iſtud amantes,
Tale decet, nec tale poteſt exactio dici.
Hoc ſerò venies, ſed tarde, ne modo quartus
Addatur teſtis, quartum non vult adhiberi,
Nec poſſunt ſoli duo, ſi non tertius aſſit.
Vnica ſufficiam vobis ſervire duobus,
Te ſibi ſeq; tibi manus eſt hæc una datura.

XXXIX.

Hiis dictis abit invito mihi pignora tradens.
In ſero venio, mecumq́; iocalia porto


Nec retinere volo, quia cum fuerint data, credā
Extunc ſemper ei. Nam quæ reperitur in uno
Verax, credibilem ſe quantū ad plurima reddet;
Et niſi rupta fides ſit per mendacia durat,
Non quia non multi ſint, qui modicum bene reddunt,
Ut majora ſibi credantur, ſed ſecus eſt hîc.
Namq; datum ſemel hoc multis præpōderat unū.
Advenio, ſervatq; fores ancilla parata,
Mox introducit, mox lectum mittit in ipſum,
Et quia me fallax alias deceperat, ipſam
Attrecto manibus, reſpondent ſufficienter
Singula, frons, ſedes oculi, naſus, labra, mentum.
Sentio ridentem, ruo totus in oſcula. Quid plus?
Nudus ſuſcipior cum manſuetudine multa,
Totus in antiqui delector amoris odore.
Quod fuerat meminiſſe juvat, quantiq; fuiſſet
Integra, fracta docet. numquā matrona tot ennis,
Præcipue poſt tot partus, fuit aptior ulla,
Nullaq; munda magis fuit, aut meliorū odoris.
Quod ſupereſt taceo: ſatis eſt dixiſſe quod unam
Venimus in lectum, quod uterq; ſatiegit utriq;.
Qui cum pace receptus eram, cum pace receſſi:

XL.

Ecce meis in viſceribus nova rixa creatur,
Lis gravis, ira furens, odium mortale, perennis
Rancor, inhumanus ſtrepitus, congreſſio dura,
Quæſtio difficilis, quam nulla ſolutio ſedat.
Cum recolo tacitus trutinanteq; mente revoluo,
Quid fortuna mihi dedit, & quid caſus ademit,
Euehor huc illuc fluitans, hinc gaudeo multum
Quod ſuper optato tam longo tempore vici:

Digitized by Google

Inde memor rurſum quam tardè vicero, triſtor
Quod nullo reditura modo ſit fracta ſenectus.
Auget lætitiam deſiderium diuturnum,
Auget triſticiam pigra deſperatio. Verum
Ipſam læticiam nec deſperatio tollit,
Nec deſiderium valet euacuare dolorem
Adjuto conſorte ſuo conſtanter utroq;.
Et tamen inter ſe non poſſunt pacificari.
Quæ ſi concurrant neutrum neutro ſuperatur:
Nec ſi librenter, nutum facit ipſa ſtatera.



XLI.

Quis doceat dominæ grates ſic ſolvere, quod nec
Ingratus videar nec ſolvere largius æquo?
Hæc eſt ſumma quidē, quod grates debeo mixtas,
Nec bona nec mala ſint ſibi lōga, ſed abbreuiētur.
Si mala ſint, placeant quo: ſi bona, diſpliceāt quo.
Non ſic triſtetur, quod ſit penitus ſine riſu,
Nec ſic lætetur, quod ſit penitus ſine fletu.
Si ſibi fiat honor, macula ſine gloria non ſit:
Si vituperium, velox oblivio tollat.

Digitized by Google

Si ſit ei damnum, pro parte tamen reveletur;
Si ſit ei lucrum, pro parteq; damnificetur.
Si quando metuat, ſolatia concomitentur:
Si ſit conſolata, metu non ſit caritura.
Sed ſemper morbo careat. Satis eſt ſibi morbus
Peſſimus, irretinebiliter ruitura ſenectus.
Permixtas grates ſic omnis amica meretur,
Quæ niſi fiat anus ſe non concedit amico.
Et mea non habeat melius vel pejus eiſdem,
Si ſua culpa fuit. Sua culpa fuiſſe videtur,
Cum memorem facti vetulæ ſe confiteatur.
Nam facti vetulæ niſi conſcia primo fuiſſet,
Non ſe poſt ejus memorem confeſſa fuiſſet.
Nec tamen omnis anus eſt talibus annumeranda.
Semper erit juvenis mihi, quam ſic inveteravi
Hæc autem mecum quia non fuit inveterata,
Diſplicet atq; placet. Obtinuiſſe. Sed illi
Cui ſemper fuerit tam cara juvencula, quod non
Arrigit ad vetulam, non eſt leve continuare.
Attendas vetulam mecum non inveteratam.
Nam juvenes mihi ſemper erunt, quas inveteravi.
Nec minus annoſam ſum quæſiturus, eo quod
Plus timeo ne deterior foret illa priore,
Quam ſperem melius facturam; præcipue cum
Nunc quam primo minus præſumeret eſſe potentem,
Et dici poſſet, Vetulus jam deſipit iſte.

Digitized by Google

OVIDII NASONIS PELIGNENSIS.

DE VETVLA.

Liber ſecundus explicit: incipit tertius,

In quo deſcribit qualiter victurus eſt derelicto amore.

I.

Iſtæ ſunt cauſæ, propter quas amodo nolo
Vivere, ſicut eram ſolitus, nec ſubdere collum
Plus intendo jugo nervos carpentis amoris.
Sed quoniam non uſq; caret matura ſenectus.
Inſidiis, & adhuc temptatio plurima reſtat,
Quid faciã? repetamné jocos quibus ante vacabã
Delicias, quibus utebar juvenilibus annis?
Non repetam, quia tunc etiam non me releuabũt
A cara cura, nec eis oblivio curæ
Talis ineſt, deſiderium potius revocarent,
Et dici poſſet; Vetulus jam deſipit iſte.
Sed ſcio quid faciam. ſtudio complector anhelo
Lucem, quam mecum dixi prius eſſe recluſam;
Lucem doctrinæ, quæ rerum ſedula cauſas
Rimatur, ſublimis apex in philoſophia;
Lucem doctrinæ, quæ cum ſit cœlica, terras
Non dedignatur, ſed in exilio peregrinat
Iſto nobiſcum, ſolatia vera miniſtrans.

II.

Adjiciamq; jocos dociles matheſiſq; ſequaces:
Sumptibus exiguis aliquatenus ædificabo,

Digitized by Google

Concernens ad materiam geometria quædam,
Sic abſtracta quidem quod non ſine materia ſint.
Algebræq; memor, qui ludus arithmeticorum,
Admittam ludum, qui rythmomachia vocatur,
Inveniam ſi diſcipulos, quia non niſi pauci
Sunt hodie, matheſim qui cenſuerint imitandã,
De cantu capiam partem, quam muſica ſcribit,
Adq; Creatoris laudem mea cantica vertam.
Aſcendam in cœlum, ſi demonſtratio pennas
Annuat, & curſus aſtrorum verificabo
Inſtrumenta levans, & ſcribam poſteritati
Qualiter inveni loca ſingula tempore certo
Vt conferre queant, ſicut fecere priores.

III.

Inde creatorem per res intendo creatas
Venari, & demum per rerum quærere cauſas
Cauſam intellectu cum tranſcendente ſupremã;
Sciturus per eas, ſuper omnia cui reverendum,
Cui me devoveam perfecto corde, dieſq;
Conſumpturus in his quos nutu cuncta moventis
Significatores velut inſtrumenta dederunt,
Per quæ prima quidem regit omnia cauſa prout
De quibus in majore meo licet inveniatur (vult.
Libro, quod dixi Platonica verba ſecutus
Neu regio foret ulla ſuis animalibus orba,
Aſtra tenent cœleſte ſolum formæq; Deorum.
Non tamen hic niſi ꝙ certũ eſt volo dicere. quare
Diffinire neceſſarium non eſt modo, cum non,
Conſtet utrum vivant cœleſtia corpora necne:
Affirmare quod eſt temerum, incertumq; negare
Sed quocumq; modo ſint, certa indagine conſtat.

Quod quamvis diverſus eis ſit motus, eaſq;
Nunc celeri motu, nunc tardo, nunc retrocedant;
Et nunc directè nunc aut ſeptentrio ſurſum
Efferat, aut retrahat, pars meridiana deorſum,
Nunc grandē parvamvé putes diametron habere:
Compoſitus tamen eſt diverſus motus eorum
Motibus ex æqualibus orbicularibus in ſe
Et numeris certis & certa lege moventur.
Hoc etiam conſtat, quod mundi motus obedit
Hic elementaris, ſicut longus docet uſus,
Motibus ipſorum nec contradicere poſſunt
Qui quæcunq; minor noverunt deſpiciunt, &
Dentibus invidiæ præſumunt dilaniare.
Prima per ipſa quidem regit omnia cauſa prout vult.
Organa ſunt primi, ſunt inſtrumenta ſupremi;
Cujus amicitias hîc ſi mihi comparo, nulli
Poſt mortem teneor obnoxius eſſe Deorum.

IV.

Quicquid enim teneat de Diis ſententia priſca,
Unicus eſt Deus & Dominus, cui Dii quoq; parēt,
Salva ſit ipſorum patientia, ſalvaq; ſi non
Eſſe poteſt, niſi diffitear quod ſentio, ſaltem
Non dedignentur cum ſint rationis amici.
Si rationibus experiar, ſi diſcutiam quid
Credi conveniat ſuper agnitione Deorum,
Utrum ſint plures, vel forte ſit unus eorum,
Qui Dii dicuntur, pater & deitatis origo.
Quod ſi ſic, jam ſunt virtutes particulares
Et non Dii, niſi grammatices accommodet uſus
Hoc nomen Deus ad virtutes ſignificandas
Omnes, quod potius deberet abuſio dici.

Digitized by Google

Tunc ydiomalis hæc dici quæſtio poſſet,
Quæ modici precii reputatur apud ſapientes.
At ſi non licet os in cœlum ponere, certe
Non poſſum cogi quin credam quod mihi dictat
Mens, quæ de cœlo mihi credita dicitur eſſe.
Ergo loqui liceat de primo principio, quod
Sic eſt principium, quod non eſt, principiatum.
Et quæratur utrum ſint plures principiantes.
Exempli cauſa ſicut quidam poſuerunt,
Vt bona principiet alter, reliquus mala, vel ſit
Vnicus amborum, diverſimodè licet, auctor,
Quocirca dico quod cauſa ſui nihil eſſe
Principiumvé poteſt, quin Omnipotentis etiã ſit,
Nec decet eſſe Deum, divinum dum modo numen
Reſtringatur ad id, quod non eſt principiatum,
Sicut prædixi. Quid enim juvat eſſe Deum, ſi
Non eſt omnipotens? Deitaſq; quid addit eidem,
Omnipotentiæ ſi circumſcribatur ab ipſo?
Ad verum nihil eſt adeo proprium deitati.
Sicut poſſe, nec id dignum eſt deitate niſi ſit
Perfectum. Quare ſi non eſt omnipotens quis
Nec Deus eſſe poteſt, ſequiturq; ꝙ omnipotentes
Si non eſſe duo poſſint, nec Dii duo poſſunt.
Dii quoq; ſi plures, & plures Omnipotentes.

V.

Arguo ſic igitur. Duo ſi ſunt Omnipotentes,
Ac per id æquales, aut hic dependet ab illo
Aut non. Nam ſi ſic, bina Omnipotentia non eſt:
Si non, iſtius poterit contrarius eſſe
Ille voluntati, ſua ſi velit impediendo
Facta vel illius econtrà forſitan eſſe iſte.

Digitized by Google

Nam ſi non poſſit, jam non eſt omnipotens is:
Si vero poſſit, alius non omnipotens eſt.
Sic igitur rebus independentibus à ſe
Omnipotentatus non poſſet ineſſe duabus:
Quare nec deitas. Tantum eſt igitur Deus unus,
Strenuus, excelſus, ſuper omnia glorificandus.

VI.

Hic Deus eſt virtus quædā, quæ tranſilit omnem
Virtutem, virtus ſuper omnem ſimplicitatem
Simplex, à noſtra ſic cognitione remota
Simplicitate ſua, quod per ſe ſcibilis ipſam
Non eſt à nobis, non quod de parte ſua ſit
Defectus, ſed nos hebetes ſumus ad capiendum
Eſſe rei vires noſtras ita tranſgredientis.
Sed nec habet virtus, hæc cum ſit prima, prius ſe
Per quod in ipſius veniatur cognitionem.
Quare non niſi per ſua poſteriora ſcietur,
Quæ ſunt res omnes quas mundus continet in ſe.
Nam mundum Deus ex nihilo mundanaq; fecit
Solus ab æterno: ſed cum non poſſet apud ſe
Tanta pati bonitas etiam quemcunq; colorem
Invidiæ voluit, quibus eſſet largus, habere.
Et primò duo materiam lucemq; creavit,
Vt per quod fieret hic mundus habere & ex quo.
Sed qui materiam vult informem meditari,
Cogitur, ut ſicut punctum meditetur eandem.
Nam quantum nihil eſſe poteſt & fine carere,
Finitumq; quod eſt & formam conſtat habere.

VII.

Ergo materiæ, quæ ſe reddit meditanti

Digitized by Google

Sit manifeſtatrix ad formam ſuſcipiendam,
Aptat eam, quoniam per totum digerit illam,
Igniculiſq; fovens partem diffundit in omnem
Motibus oppoſitis faciens diametron ubiq;
Cumq; ſit ambarum finita potentia, ſtandi
Terminus eſt, poſitus quo ſiſtitur utraq; virtus:
Scilicet extendens extenſaq; ſicut in illis
Plus nec agēte poteſt patiens, nec agens patiente.
Commenſurat eas eadem proportio, ſicq;
Crementi motu ceſſante reflectitur in ſe.
Hæc fit ſphæra via tali diſtincta tenore.
Vt pars interior ſit denſior apta quieti
In qua plus de materia, de luce minus ſit:
Pars ſit & exterior ſubtilis & apta moveri,
In qua plus de luce, minus de materia ſit.
Hæc pars humanam ſpeciem regit, illaq; paſcit.

VII.

Porro pars ſphæræ medium quæ poſſidet, & quæ
Denſior eſt alia, per quatuor eſt elementa
Sic connexa ſibi diviſa quod alterutrorum
Vires oppoſitas medium commune maritat.
Inq; novem cœlos extrinſeca dividitur pars,
Quorum forma quaſi tunicatim contineat ſe,
In quorum ſeptem propiori à parte planetæ
Septem diſcurrunt diverſis motibus acti.
Horum ſunt ſuperi Saturnus, Jupiter & Mars:
Sol medius, ſub Sole Venus, præcepſq; ſub illa
Mercurius, terræq; propinquior infima Luna.
Stellas octavum cœlum fixas habet, uno
Motu contentas, ut in his contrarietas ſit
Tanta ꝙ unicus eſt ubi corpora plurima motus:
Et rurſum motus ubi corpora ſingula multi.

Digitized by Google

IX.

At nonum cœlum, quantū ad nos; ordine primū,
Quantum ad naturam; dictum quoq; mobile primum,
Nullum corpus habet, ſed lux diffuſa per ipſum.
Quanto materiæ radix removetur ab ipſo,
Tanto concerni potuit minus, ut fieret lux
Illic viſibilis. nec enim niſi materiatum
Viſibus offert ſe. Motu lux iſta Diurno
Cœlum ſic à materiæ radice remotum
Tam rapida virtute movet, tantoq; vigore
Circumvoluit, ut & cœlos ſecum trahat omnes
In ſe contentus, ſecum circumrotet omnes
Nocte dieq; ſemel, & mundanum ſuper axem.
Axis mundanus eſt linea quæ quia tranſit
Per centrum mundi inq; polo finitur utroq;,
Major ea nulla eſt; immotaq; ſola quieſcit.

X.

Sola quieſcit, ſed non eſt longiſſima ſola,
Excluſa majore poteſt æqualis haberi.
Circulus omnis enim, qui dividit in duo ſphæram,
Maximus eſt, pariterq; ſuus longiſſimus axis,
Quorum qui ſupra mundi componitur axem,
Cujus deſcribit motum revolutio primum,
Dicitur Æquator, & dicitur æquidialis.
Hiis octo cœlis unus tamen eſt generalis
Et ſuper axem qui mundi declinat ab axe
Per quintā decimam modico minus, & ſuus orbis
Non eſt æquatore minor, qui dicitur orbis
Signorum vel Zodiacus, quantumq; recedit
Axis ab axe ſuus, declinat & orbis ab orbe,
Cœlorumq; ſub hoc motus deſcribitur octo.

Digitized by Google

XI.

Sed quia cœlos hos motus vehementia primi
Vincit, nec poteſt ipſum uſq; ſequi, reputatur
Ipſorum motus primo contrarius eſſe.
Non tamen eſt, ſed id incurtatio viſibus affert,
Vincunturq; magis, quanto magis inde remoti,
Et qui tardior eſt, velocior eſſe videtur.
Nam lux illa movens virtus eſt immediatè
A primo motore fluens immobile primum,
Et movet ipſum, ſic ut motor non moveatur,
Sed manet immotus, licet illa neceſſe moveri
Sit, quæcumq; movent contactu, nec tamen illa,
Quæ virtute movent, idcirco neceſſe moveri.

XII.

Amplius hoc cœlum ſic hac virtute movetur,
Vt numquam totum mutare locum queat in ſe,
Sed ſolæ partes ejus mutant loca, quando
Circumvolvuntur, quia motus is orbicularis,
Cui nihil oppoſitum. Semper durabilis ergo
Seſe continuans in partem ſemper eamdem
Et circa medium, quia nec leve, nec grave cœlum eſt.
Aſt elementorum levitas ubi vel gravitas eſt,
Eſt motus rectus, quia quod gravitate movetur,
Ad medium trahitur, & quod levitate recedit
A medio, quorum ſunt oppoſiti ſibi motus
Ad loca tendentes diverſa, quibus ſibi nactis
Quodlibet in propria regione quieſcit eorum,
Inde nec extrahitur, niſi per motum violentum.

XIII.

Hæ mundi partes, cœleſtis ſcilicet illa,

Digitized by Google

Hæc elementaris, mundo ſervire minori
Non dedignantur. Mundus minor eſt HOMO, cujus
E cœlo vita eſt, & victus ab hiis elementis:
Sic dictus quia ſit mundi majoris ad inſtar
Factus, converſo licet ordine. Nam quod in illo
Groſſius eſt, jacet in medio, ſubtilius extra:
Hîc vero latet interius ſubtile, velut ſunt
Cor, cerebrum, necnon & epar, dominantia membra.
Teſticuliq; licet ſint ex hiis, ſunt tamen extra
Ob generativam foris auxiliantis egentem.
Iſta quidem vice cœlorum funguntur in ipſo,
Et quibus eſt ſervire datum ſpecialiter iſtis,
Scilicet arteriæ, pulmo tracheaq; cordi,
Venæ, fel & ſplen epati, nerviq; cerebro,
Senſus & motus & ſemen dantia vaſa
Teſticulis, ſtomachusq; locus generalis eorum.

XIV.

Sol in corde manet, & in arteriis dominatur
Vivificans per eas totius corporis artus.
Mercurius patulam pulmonis habet regionem,
Tracheam quoq; vociferam, linguamq́; loquacē.
Teſticulos Venus & quæ ſemen vaſa miniſtrant
Sortitur. Sed epar Jovis eſt ſtomachusq́; cibator.
Splen Saturnus habet, Mars fel, & Luna cerebrū.
Stellatum cœlum nervos, ſenſus habet atq;
Nonum motivos, cujus rapit omnia motus.
Virtutes iterum potes aſſignare planetis
Et naturales in primis. Appetit ergo
Mercurius, retinet, Saturnus, digerit autem
Jupiter, expellit Mars, paſcit Luna, nutrit Sol,

Atq; Venus generat. Iiſdem quoq; ſic animales.
Sentit Jupiter, & Sol cogitat ac ratione
Vtitur, at meminit Saturnus, Luna localem
Exercet motum, diſcernit Mercurius, Mars
Iram ſuccendit, deſiderium Venus auget.

X V.

Compoſitos itidem dabis humores elementis.
Aëra ſanguis habet, habet ignem cholera, terram
Melia, phlegmon aquã. Sed rurſus homogeneorũ
Membrorum quædam ſunt horũ danda quibuſdã.
Oſſa quidem terreſtria ſunt, aqueæq; medullæ,
Aëreæ carnes, cutis ignea, cætera claudens
In ſe, ſicut ibi tria circumplectitur ignis.
Diſtribuuntur item ſic officialia membra.
Arce manens caput in ſuperna viri datur ignis,
Venter aquæ, dorſum terræ, manuumq; pedumq;
Ramos aër habet, cujus per inane vagantur.
Sic homo majoris eſt mundi factus ad inſtar;
Sic hominem cœliq; regunt, elementaq; paſcunt;
Sic homini totus major mundus famulatur.

X V I.

Sed ſpecialis eſt cœli pars una dicata
Vt p: operè per eam ſpecies humana regatur.
Nam quamvis homini totum cœlum famuletur,
Appropriata tamen eſt cuilibet ex elementis
Quædam pars cœli. Regionem Sol regit ignis
Materiamq; cometarum ſublimat ad ipſam
Subtilemq; levat pro dando rore vaporem.
Inde minoribus eſt datus aër quinq; planetis,
Ad quorum motum mutatio temporis omnis
Accidit, & veniunt nix, grando, tonitrua, fulmẽ,
... pluviæ. Lunæ ſequitur mare motum,

Digitized by Google

Acceditq́; ad nos, quotiens ad meridianum
Luna venit; quotiens & ad horizonta, recedit:
Fortius accedens, quotiens accedit ad augem
Orbis Luna ſui, cujus centrum quia diſtat
A centro mundi, nomen quoq; traxit abinde
Cuſpidis egreſſæ, ſimiliq́; modo quotiens eſt
Orbis in auge brevis, quem nominat ars epicyclũ,
Et quotiens utriuſq; ſimul conſcendit in augem,
Eſt ſicut plus eſſe poteſt acceſſio fortis.
Tunc etiam piſces meliores ſunt ad edendum,
Præcipuè qui ſunt in conchis degere nati.
In terra tandem ſtellæ fixæ dominantur,
Ad numerum quarum datus eſt numerus ſpecie-
rum.
Cui tamen ex ſtellis quæ ſerviat ex ſpeciebus
Neſcitur, ſed homo tegitur ſpecialiter orbe
Nono, qui cœlos & continet, & movet omnes.
Vnde fit, ut ſicut ſtellarum motus obedit,
Et trahitur cœli, quod continet omnia, raptu,
Sic dominatur homo cunctis aliis ſpeciebus.
Sicut & in cœlo lux eſt ſubtilior iſto,
Sic homo dignior eſt, mentisq́; capacior altæ,
Sicut & hoc cœlum primus fovet immediatè,
Sic hominis ſpeciem ſuper omnia diligit idem.

XVII.

Et cùm de cunctis ſit cura Deo ſpeciebus,
De ſolis individuis hujus ſpeciei
Cogitat, in quorum ſunt cuncta creata favorem,
Illis præcipuè dans quandam nobilitatem,
Vim ſpeculativam, divini munus honoris,
Per quod dignatur ſibi res eſt aſſimilari

Digitized by Google

Infundendo creans ipſam, infundensq́; creando.
Ac aliæ vires animæ cùm commoriantur
Omnes corporibus, ſe ſeparat unica vis hæc,
Corpore nec pereunte perit, quoniam licet ipſa
Non ſit ab æterno, poſtquam tamen incipit eſſe
Durat in æternum. cujus quia conditiones
Æternas quaſdam inveniunt, ſub tempore quaſdam,
Dixerunt quod eam factor lucis creat inter
Tempus & æternum, confinē ambobus, ad inſtar
Horizontis, qui duo ſemiſphæria mundi
Viſum ſcilicet à non viſo dividit æquè.
Separat autem ſe, quoniam de corpore toto
Non habet organicam reſpondentem ſibi partem.
Eſt igitur ſine fine manens, ubi cœperit eſſe.

XVIII.

Horum mundorum nullo Deus iſte juvante
Materiam potuit, ſcivit, voluitq́; creare,
Ac ipſos de materia formare creata,
Majori lucem infundens, animamq́; minori.
Et placuit ſibi, quod tales eſſent duo mundi;
Quodq́; duæ partes, quas mundus habet minor, eſſent,
Hæc finibilis, & ſemper durabilis illa:
Et quod majori motus eſſent duo mundo,
Hic finibilis, & ſemper durabilis ille:
Non tamen univocè ſumatur ſemper utrimq;.
Semper enim durat, quod tēpore durat in omni,
Et motum tempusq́; ſibi liquet eſſe coæva.
Nam nec motus erit ſine tempore, nec ſine motu
Tempus, quæ ſicut cœpiſſe ſimul potuerunt,

Digitized by Google

Stare ſimul poterunt, cum terminus affuerit, quem
Conditor impoſuit. nec eum novit niſi ſolus
Impoſitor, ſicutq; fit ut durante perenni
Motu cauſatur perpes generatio, ſic &
Iſte ſtatus cauſat vitam ſine fine quietam,
Vt quod vixerat hic ad tempus in hiis elementis,
Vivat in æternum ſuper orbes glorificatos:
De rationali dico, cui vita ſuperſtat.

XIX.

Statim ergo veniente ſtatu fiunt nova cuncta.
Schemate nam ſimili ſtatus innovat omnia, ſicut
Et motus generat, cœli generatio moti
Eſt effectus & ejuſdem ſurrectio ſtantis.
Ad motum cœlum finiti temporis eſſe
Pertinet, ad ſtans atq; quietum pertinet eſſe
Æternum fixumq; manens & glorificatum.
Porrò ſtatum ſequitur ſurrectio tam generalis,
Quam præter motum generaliter omnia ſtabant.
Ergo neceſſariò nova fient omnia, cœlum,
Sidera, mundus & hic, & corpora noſtra reſurgent.

XX.

Si ſtet motus ais? ſic eſt, ſed ſtare neceſſe
Non eſt, & quamvis ſit naturale reſolvi
Quod junxit natura, tamen non vult Deus illud,
Quod ratione bona junctum fuit, uſq; reſolvi.
Vnde fit ut quicquid natura ſolubile junxit,
Sancierit bonitate ſua divina voluntas.
Hæc ais. hæc & ego. ſimul unica perficiendis
Omnibus organicis non ſufficit endelichia,
Eſt animabus & hoc aliquid, quo dicitur una

Quælibet illarum, quo differt omnis ab omni.
Si vero motus non ſtet, generatio ſemper
Continuabitur, & ſpecies humana creatas
Infuſasq; novas animas ſibi multiplicabit.
Separat autem ſe virtus animæ ſpeculatrix
Propter eam cauſam, quam dixi. Sic animarum
Infinitus erit numerus. Natura ſed iſtud
Non patitur, nec ſtare poteſt: Quare neq; primũ.
Sic ſtabit motus, ſic corpora noſtra reſurgent,
Ad proprium corpus anima quacunq; reverſa.
Non quod Deucalion ſit pirra futura, ſed illud
Corpus idẽ numero quod habebat uterq; reſumet:
Ut quia pro meritis reddenda eſt gloria, pœna
Pro culpis, proprios actores quæq; ſequatur.
Sic mutabit nos Excelſi dextera ſolo
Verbo. Nam ſtandum ſi juſſerit, illico ſtabit,
Non ut diſſolvat quæ juncta bona ratione
Sunt, ſed ut in melius commutans ſanciat illa.

XXI.

Forte tuus tamen id non ſuſtinet intellectus
Ignis reliquias ſic in melius renovari
Poſſe: quod & memini dicens hæc de Jove verba:
Eſſe quoq; in fatis reminiſcitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.
Sed de hoc non eſt jus. is enim, qui primo creavit
Omnia de nihilo, reparare poteſt ea multo
Fortius ex aliquo, renovando modo meliori.

XXII.

Hic Deus Omnipotens eſt virtus illa ſuprema,

Cui me devoveo, cui ſoli confiteor me
Totum deberi, cui ſoli debeo grates
Tam de gratuitis quàm naturalibus, & quàm
Fortunæ donis. Iſti me judice ſoli
Debetur reverentia; debetur famulatus.
Cujus amicitias hîc ſi mihi comparo, ſpero,
Quod meliore gradu coram ſe ſtare jubebit.

XXIII.

Hujus cultorem me repromitto futurum,
Hujus & oh utinam merear meminiſſe, priuſquam
Adveniant anni, quos dicam non placituros,
Sol ut obumbretur, & ſtellæ Lunaq; Solis
Lumen; poſt pluviam redeunt nubes iteratò,
Cuſtodesq; domus ſeu fortes commoveantur,
Quiq; videt per parva foramina contenebreſcãt,
Filia carminis obſurdeſcat ſurgere mane
Quæ ſolet ad vocem volucris, ducantq; molentes
Ocia, formident timeantq; excelſa viarum,
Flore ſuo caneſcat amygdalus, imminuatur
Capparis in lumbis, impinguetúrq; locuſta,
Rumpatur funis argenteus, atq; recurrat
Aurea virga, ſuper contrita ſit hydria fontem,
Ciſternamq; ſuper confringatur rota, pulvis
In rerram redeat, ſed liber ſpiritus ipſum
Evolet ad Dominum, qui deſurſum dedit illum.

XXIV.

Temporis illa dies finem faciet mihi, vita
Victuro meliore quidem, ſi reddidero me
Gratum factori largitoriq; bonorum:
Præcipuè ſi ſerviero ſibi, ſi bonitatem

Ipſius ſummam dilexero corde tenaci
Menteq́ perfecta ſi glorificavero laude
Néve creaturæ cultus impendero dignos
Majeſtate ſua, ſeu reddendos ſibi ſoli.
Sic igitur metuenda dies non eſt mihi mortis,
Et ſi non alias, ideò ſaltem quia finem
Exilio faciet. Mors Regibus exulibusq́
Communem patriam parat, & communiter omnes
Vrbe ſua recipit, & nullos inde relegat.

XXV.

Porro non penitus caret utilitate, quod ipſa
Terminat exilium, quale eſt habitare ſub Arcto,
Quale Gethas inter, quia proximitate Getharum
Deterius nihil eſſe poteſt, ubi vivere certe
Non aliud reputo quàm mortem continuare,
Quamvis eſſe malam mortem ſuper omnia dicat.
Non nihil eſt finire malum. mala ſunt bona finem
Impoſitura malis. Non ſemper vivere vellem
Si non conceſſum ſimul eſſet poſſe reverti.
Nam quoniam reditum mihi jam ſperare negatum eſt,
Opto mori; ſéd ſi mihi vivere forte liceret
In patria, gravior foret expectatio mortis.

XXVI.

Nec me quorundam deterret opinio vana,
Qui dicunt animas apud infernalia regna
Exercere, quod hîc exercuerant: quia verum
Si foret hoc, non exilium fugerem moriendo.
Dii melius: quod ſi dixiſſe redarguar illud,
Non fuit hoc, quia ſic ſentirem, ſed quia vulgo
Cum loquerer, vulgi decreta tenere volebam.

Verior & potior ſententia Philoſophorum;
Illorum proprie quos illa ſcientia dives
Occupat aſtrorum, qui partem judiciorum
Exercent, & principiorum reddere cauſas
Sufficiant, varios effectus inde probantes.

XXVII.

Hos apud invenies, quid ſignificare planetis,
Quid ſignis domibúsve datum, quia circulus ipſe
Dividitur bimodè per bis ſex ſigna domosq;.
Hæc diviſio naturalis, & hæc ſitualis,
Diverſásq; trahunt vires ab utraq; planetæ.
Qui cum ſint ſeptem, duo ſunt ibi lumina magna:
Eſtq; planeta diurnus Sol, nocturnaq; Luna:
Et rurſus Sol maſculus eſt, & femina Luna:
Sol calidus ſiccus eſt, humida frigida Luna,
Pertinet ad Solem virtus activa caloris,
Pertinet ad Lunam paſſiva, ſed humiditatis:
Sicq; poteſt dici Sol ſponſus, Lunaq; ſponſa,
Ex quibus in mundo res omnis habet generari,
Humorem Luna, præſtanteq; Sole calorem.

XXVIII.

Poſt Solis Lunæq; faces ſunt lumina quinq;
Propter naturas totidem, quia ſunt elementis
Quatuor affines, commixta ex omnibus una.
Frigidus & ſiccus eſt Saturnus, calidusq;
Mars eſt & ſiccus, & Jupiter eſt calidus ſed
Humidus, atq; Venus eſt humida frigida, mixtus
Mercurius, convertibilem ſe reddit ad omnes.
Rurſus Saturnum dicunt Martemq; malignos,
Sed plus Saturnum, Martem minus; ex aliaq;
Parte Iovē, Veneremq; bonos, plus hūc, minus illā.
Mixtum Mercurium ponunt in utroq; viciſſim.

Digitized by Google

XXIX.

*Ex hiis principiis ſunt inter cætera multa
Conati domini ſtellarum, reddere cauſam,
Cur ſit nona domus fidei vel religionis.
Nam cum Saturni ſit circulus altior, inde
Incipiunt, primæq; domus venantur ab ipſo
Cauſas & proprietates, iterumq; ſedere
A Jove qui ſuccedit ei, ſimiliq; deinceps
Schemate per reliquos donec ſit ſeptima Lunæ.
Inde revertatur octava domus moderanda
Saturno poſt nona Jovi. Niſi Jupiter ergo
Significare fidem per prænarrata probetur,
Non poterit domui nonæ præſtare quod ipſa
Significare fidem poſſit vel religionem,
Sed quod ſignificet, ſic per prædicta probetur.*

XXX.

*Fortunas Jovis & Veneris prædiximus eſſe,
Majoremq; Jovi dedimus, Veneriq; minorem.
Cumq; duæ vitæ ſint, præſens atq; futura,
Dignior illa quidem quàm ſit præſens, ideo quod
Plus valet æternum quàm quod pro tempore durat.
Propter id eſt Veneri data ſignificatio ſupra
Fortunas hujus mundi, ſit gratia verbo,
Ludos & cantus, ornatus atq; colores,
Quodq; per olfactum guſtumve vivat coitumq;,
Et concludendo breviter ſuper omnia mundi
Gaudia, quicquid in hac eſt delectabile vita.
Sicq; Jovi ceſſit vitæ fortuna futuræ,
Aſſertivè quam nullus deſcribere poſſet;
Immo negativè vult deſcribi, quaſi dicas,
Qua nihil eſt melius, nihil eſt jocundius uſquam.*

Quod cum non poſſit niſi religione fideq;
Quatenus acquiri merito quoq; Jupiter illas
Significat, merito domui nonæ dedit illas.
Ex quibus ulterius venabimur, ut veniamus
In vitæ ſecli futuri cognitionem.

XXXI.

Significare fidem Jovis eſt & religionem.
Ergo ſecundum quod complectitur ipſe planetis;
Et fidei ſpecies debent diverſificari,
Sicq; fides ſunt ſex, ſed non niſi quatuor uſq;
Tempus ad hoc præſens latas invenimus eſſe.
Si complectatur Saturno Jupiter, ex quo
Saturnus gravior eſt omnibus, ipſeq; nulli
Jungitur ex aliis, omnes junguntur eidem,
Eſſe fides debet, quæ nullam confiteatur
Ex aliis, omnes tamen inclinentur ad ipſam.
Talis erat Judæa fides, & talis adhuc eſt.
Si Marti, Chaldæa fides credetur, apud quam
Ignis adoratur, cui ſignificatio Martis
Concordat. Sed ſi Soli, ſequitur quod adorent
Militiam cœli, cujus princeps quoq; Sol eſt.
Si Veneri, jam noſtra fides convincitur eſſe,
In qua ſi libeat quodcumq; licere putatur:
Scripta licet ſuper hiis nondum lex inveniatur.

XXXII.

Et quia quatuor has jam præceſſiſſe videmus,
Et reliquas etiam præſumimus eſſe futuras.
Lunæ poſtremam legem fore conjicientes,
Vel quia poſt alios eſt circulus infimus ejus,
Vel quia Lunaris motus corruptio legem
Omnem ſignificat tolli debere per ipſam.

Digitized by Google

Fœda fides erit hæc, quam Rex in fine dierum
Sive potens aliquis violenter & abſq; colore
Eſt inducturus, qui divinum ſibi cultum
Vſurpare volens, occidet & opprimet omnes
Contradictores, nec tanta occiſio tanto
Tempore pro turpi cauſa præceſſerit unquam.
Sed durare parum poterit, quia Luna figuræ
Motus & lucis eſt mutativa frequenter.

XXXIII.

Ante tamen legem Lunæ, Lex Mercurialis
Promulganda manet, ſed propter Mercurii tot
Circuitus, & tot inflexus atq; reflexus
Difficilis credi ſuper omnes lex erit illa
Et multum gravitatis habens, multumq́; laboris,
Obvia naturæ ſupponens plurima, ſola
Concipienda fide. Quare dubitatio multa
Surget apud multos, nodoſaq́; quæſtio multa.
Sed quia Mercurius ſcripturæ eſt ſignificator
Et numeri, per quæ lex omnis habet ſtabiliri,
Et quia præcipuè non quæ ſunt temporis hujus
Mira ſed æternæ promittit commoda vitæ,
Tot defendetur ſubtilibus argumentis,
Quod ſemper ſtabit in firmo robore, donec
Tollat eam Lunæ lex ultima, ſicut & omnes
Vel ſaltem ſuſpendat eam, quia Rex ubi nequam
Prædictus ſublatus erit, ceſſanteq́; fœda
Lege ſua, vel erit tunc conſummatio, motu
Stante, vel ex aliis prædictis legibus unam
Omnes aſſument, & forte probabiliorem.
Nam quia decepti fuerint communiter omnes
Ad reſipiſcendum venient concorditer omnes.

Digitized by Google

XXXIV.

Tunc ſiet legum collatio. Forte videtur
Quod non debebit præferri quæ colit ignem,
Vel quæ militiam cœli, quia nulla creata
Res eſt digna coli. Rurſum Judæa fides, &
Noſtra, creatorem ſolum licet eſſe colendum
Edoceant, tamen æternum nihil inde mereri
Promittunt, ſed quæ præſentis ſunt bona vitæ,
Iſta voluptatis promittit, & illa fluentem
Terram lac & mel. Lex autem Mercurialis
Dignior eſſe fide reputanda videtur, eo quod
Æternæ vitæ bona promiſſura ſit, ad quæ
Nemo venire poteſt niſi religione fideq́;,
Quæ Jovis in ſortem ceſſerunt, ſignificantis
Sicut prædictum eſt æternæ commoda vitæ.
Felix qui ſectæ cauſas prænoſſe futuræ
Poſſet, venturus per eas in cognitionem,
Quis ſibi vivendi modus aptior eſſet ad hoc, quod
Inde mereretur æternæ gaudia vitæ.

XXXV.

Dicunt aſtrorum domini, quod in omnibus annis
Viginti junguntur Jupiter & pater ejus,
Cumq́; duodecies in ſignis triplicitatis
Vnius juncti fuerint, ſeu tredecies, ut
Accidit interdum, tandem mutatur eorum
Ad ſuccedentem conjunctio triplicitatem,
Quarum conſuevit conjunctio maxima dici,
Quæ fit in initio puncti vernalis, & ipſa
Poſt quaſi nongentos & ſexaginta fit annos,
Ipſo Saturno bis ſexdecies revoluto:
Significans nunc diluvium, nunc aëris ignes

Digitized by Google

Nunc terræmotus, nunc annonæ gravitates,
Regnorumq́; vices permutat & imperiorum.
Aſt alibi quæ ſit mutata triplicitate,
Conſuevit dici major conjunctio ſectam
Significans, mutansq́; fidem per climata quædā,
Et ſit poſt annos quaſi quadraginta ducentos.

XXXVI.

Vna quidem talis felici tempore nuper
Cæſaris Auguſti fuit anno bis duodeno
A regni novitate ſui, quæ ſignificavit
Poſt annum ſextum naſci debere Prophetam
Abſq́; maris coitu de virgine, cujus habetur
Typus, ubi plus Mercurii vis multiplicatur,
Cujus erit concors complexio primo futuræ
Sectæ. Nam nuſquam de ſignis ſic dominatur
Mercurius, ſicut in ſigno Virginis, illic
Eſt ejus domus exaltatio triplicitasq́;
Per totum ſignum, necnon & terminus ejus
In primis ſeptem gradibus. Dictiq́; Prophetæ
Typus habetur ibi, quamvis ſub ænigmate. Namq́;
Hiis in imaginibus, quæ deſcribuntur ab Indis
Et Chaldæorum ſapientibus ac Babylonis,
Dicitur ex veterum ſcriptis aſcendere prima
Virginis in facie, prolixi virgo capilli,
Munda quidem magniq́; animi magniq́; decoris
Pluris honeſtatis, & in ipſius manibus ſunt
Spicæ ſuſpenſis & veſtimenta vetuſta,
Sede ſedet ſtrata, puerumq́; nutrit, puero jus
Ad comedendum dans, puerumq́; Iheſum vocat
ipſum
Gens quædam. ſedet & vir ibi ſedem ſuper ipſam.
Hæc ſcripſit prior ille Propheta Noë venerandus,

Et docuit primogenitus Sem filius ejus.
Hæc autem cœli pars aſcendebat in hora,
Qua cum Saturno Jovis eſt conjunctio facta,
Nuper ſignificans ſectam, quia triplicitatem
Mutavere ſuam, nec non etiam prope punctum
Veris, ubi fieri conjunctio maxima poſſet,
Principio ſigni propior ſi forte fuiſſet.
Tunc & erant anni Græcorum quinq; trecenti
Atq; novem menſes cum ter ſex pene diebus.

XXXVII.

Felix, cui plene conjunctio tanta pateret,
Tamq; potens, fidei præclaræ ſignificatrix,
Per quam venturæ quæruntur gaudia vitæ,
Per quam cognoſci mores & vita Prophetæ
Prædicti poſſunt, ſciriq; poteſt per eamdem
Quod ſine peccato vivet, ſuper omnia verax,
Et quod doctrinæ ſanæ, quod clarificandus
Portentis & prodigiis, mirabilibusq;
Virtutum ſignis, quæ certe poſſe patrare
Non eſt humanum, ſed digna Deo potius ſunt,
Forte nec eſt hominem fas ipſum dicere purum.

XXXVIII.

Nam ſuper hoc puero ſunt olim multa loquuti
Quidam, qui vitam ducebant ſpiritualem,
Utentes parcè ſomno, potuq; ciboq;,
Senſibiliq; ſuus elongabatur ab omni
Spiritus & domita ſe ſurſum carne levabat.
Sic intellectus intendebatur eorum
In tantum, quod eis prænoſſe futura dabatur
Vel per ſomnia, vel vigilando cadebat eorum
In mentem per eosq; loqui Deus ipſe volebat.

Ac ideò tales appellavere Prophetas,
Tales dixerunt quod ſic de Virgine naſci
Debeat unus Homo, ſimul & Deus, & quod v-
tramq́;
Humanam atq; Dei ſit naturas habiturus.
Sed via poſſibilis non eſt: Clauſa videtur
Porta meis oculis, quia non intelligo, planè.

XXXIX.

Hoc unum novi, quod homo fieri Deus unquam
Non poſſet. Nam quod ex tempore cœperit eſſe,
Æternum non eſſe poteſt, quia ſi cariturum
Fine ſit idcirco quod fit Deus, amodò ſaltem
Non ſine principio poterit fore, ſed quod utroq;
Non caret, æternum non eſt. Etenim duo ponit,
Et quod ab æterno duraverit hactenus, & quod
Duret in æternum. Quare quod conditionis
Non eſt æternæ, fieri nequit amodo tale.
Si Deus eſt, igitur æternus. nemo Deus fit.

XL.

Hoc unum novi. Sed neſcio ſi Deus eſſe
Vellet homo. ſi vellet enim, cum ſumma voluntas
Non habeat vel habere queat, quibus impediatur,
Poſſet homo fieri, carnemq́; aſſumere poſſet
Ac unire ſibi: ſed qua ratione moveri
Poſſet ad hoc, ego non video, tamen undiq́; venor,
Vndiq́; perſcrutor, ſi poſſem forte venire
In veriſimilem veramvé probabilitatem,
Qualiter induci Deus ad quid tale volendum
Poſſet. Certus enim ſum, quod lex Mercurialis
Plurima naturæ contraria ſit poſitura.

Digitized by Google

XLI.

Hoc unum video,quod cum Deus , ut retrò dixi,
Cæleſtem motum providerit eſſe ſtaturum,
Et ſibi de Solis individuis ſpeciei
Cura ſit humanæ, vult forte viam meditari,
Qua poſſint homines in fine reſurgere mundi.
Quare vult individuum ſpecialiter unum
Inter eos fieri,quod naturaliter ambas
In ſe naturas habeat, noſtramq́; ſuamq́;
Ex unaq́; mori, rurſumq́; reſurgere poſſit
Ex alia, cujus virtute reſurgere poſſint
Omnes poſt habitum per eũ de morte triumphum.
Hoc eſſet certe dilectio maxima,ſed non
Miror, ſi ſummus ſit munera ſumma daturus.
Sed licet iſte foret homo verus,non tamen ipſe
Naſci deberet,ſicut communiter illi
Naſcuntur, qui ſunt homines puri, quia tantum
Ac talem,per quem foret incorruptio danda
Ex incorrupta quoq́; naſci matre deceret.
Hæc ſunt quæ cecinit Cumana muſa Sibyllæ
Nuper in urbe ſacra, quaſi cuncta fides oculata
Prædocuiſſet eam, vel in aure, ſuà ſonuiſſent.

XLII.

Confiteor quod dicta fides quam plurima ponet
Obvia naturæ,ſed adhuc ibi quæſtio reſtat
Difficilis,de qua ſurgit dubitatio major
Nam de prædictis quidam dixere Prophetis,
Quod Deus eſt trinus, & quod nihilominus unus.
Hoc autem tantum meus intellectus abhorret,
Quod nec materiam ſe vertere poſſit ad iſtam,
Non quia non multum deſideret ut ſciat hujus

Dicti radicem, ſi radix eſt ibi, verum
Semita nulla patet mihi qua veniatur ad ipſam.
Nec tamen hoc verbum ſoli dixere Prophetæ,
Sed quidam de Philoſophis, qui pauca loquuti
Magna ſubeſſe ſuis voluerunt pondera dictis:
E quibus in medium veniat famoſior unus.

XLIII.

Inquit Ariſtoteles Græcorum Philoſophorum
Princeps & Dominus, veriq; perennis amicus:
Res omnes ſunt tres, numerus ternarius in re
Qualibet exiſtit. nec nos extraximus iſtum
A nobis numerum, ſed eum natura docet nos.
Nam per eum numerū ſimiles res dicimus omnes
Eſſe creatori, per eum quoq; nos adhibemus
Significare Deum, qui quamuis ſit Deus unus,
Eſt tamen & trinus. Sic dixit, neſcio cujus
Doctrinæ præcepta ſequens, aut neſcio cujus
Philoſophi zelans veſtigia ſive Prophetæ.
Dixit quod trinus, nec dixit quomodo, ſolum
Dixit quod ſic eſt, qui nunquam credulitatis
Inceſſiſſe via viſus fuit, uſus ubiq;
Aut rationibus aut cogentibus argumentis.
Hîc autem nulla fultus ratione, velut ſi
Texeret hiſtoriam, ſolum ſic eſſe canebat
Et quaſi per calamum plumbi fortaſſe locutus
Spiritus eſt per eum, veſanaq; pectora verbum
Evomuere novum, quod non conceperat ipſe,
Ac ſi nec ſuper hoc omnino tacere valeret,
Nec quod dicebat plene cognoſcere poſſet.

XLIV.

In quo ſic illo famoſo deficiente
Nec confundor ego, mihi ſi perfectio deſit

Digitized by Google

Ad cognoſcendum quædam, quibus inferior ſum:
Nilq; verecundor contra me vera fateri.
Defectivus in hoc meus intellectus habundat
In multis aliis. Nec enim myſteria tanta
Pervia ſunt nobis, quia quæ proportio lucis
Solis ad obtuſos oculos veſpertilionis?
Hæc & ad ingenium noſtrum huius materiei,
Nec puto poſſe capi, niſi poſtquam venerit ille
De cœlo, cœli plene ſecreta revoluens.
Tunc etenim credam ſi tantum dixerit ipſe,
Et quia dicturum dicunt, etiam modo credo,
Ipſum venturum jam diligo, jamq; paratus
Credere doctrinæ quam dixerit eſſe ſequendam,
Cultoremq; ſuum me repromitto futurum,
Dum tamen ipſe trahat, quia ſi non traxerit, ipſi
Nemo placere poteſt, & ad ipſum nemo venire.

XLV.

Docturus tamen eſt, qua nos veniamus ad ipſum
Monſtrabitq; viã, quia per quam venerit ad nos,
Illa tenenda via eſt: illac nos ire neceſſe.
Et iam præceſſit de quadam virgine, per quam
In mundum veniet: nobis erit hæc adeunda.
Hanc mediatricem dabit humano generi Rex
Largitor veniæ noſtræq; ſalutis amator.

XLVI.

O Virgo felix, ô Virgo ſignificata
Per ſtellas, ubi ſpica nitet, quis det mihi tantum
Vivere, quod poſſim laudum fore præco tuarum?
Nam niſi tu perfecta fores, non eligeret te
Hic Deus Omnipotens, ut carnem ſumeret ex te,
Veniretq; ſibi, niſi digna fores etiam, quod

Filius ille tuus poſtquam ſurrexerit, & de
Morte triumpharit, te vellet honorificare,
Te ſuper exaltans, cœloſq; locans ſuper omnes
Et ſibi concathedrans. Vbi namque locaverit illā
Electam carnis partem, quam ſumpſerit ex te,
Et carnem, de qua fuerit ſua ſumpta, locabit.
Fas etenim non eſt, quod poſtquam portio carnis
Vna tuæ fuerit ſic cum Deitate levata,
Reliquias alibi locet, ut ſua deminuantur
Munera circa te, dum quod bene ceperit hac in
Parte tui, non in te tota proſequeretur.
Nam contracta manus tanto eſt indigna datore:
Perfectum perfecta decent . . quod apud quem
Plena poteſtas eſt, ...
. . . .
Sed nec ad id quod ſic prælata reſurgat, oportet
Expectare ſtatum motus in fine dierum
Quando reſurrecturi ſunt generaliter omnes,
Præſertim cum ſic illi carni ſpecialis
Cauſa reſurgendi, quæ materialiter illam
De ſe producet carnem, quæ primo reſurget,
Vnde reſurgendi vis propagabitur ad nos.
Nec fas eſt etiam quod eatenus in minus alto
Siſtatur ſuus ordo gradu, quia quam Deus ante
Secula donandam tanto providit honore,
Non opus eſt ut eam velit exaltare gradatim
Sed ſimul aſſumet, ſimul & ſibi concathedrabit.

Cætera deſunt.

FINIS.

Digitized by Google

B. BEDÆ VENERABILIS Presbyteri.

CVCVLVS.

ECLOGA. I.

De conflictu veris & hiemis.

Ver. Hiems. Palæmo.

Conveniunt ſubito cuncti de montibus altis
Paſtores pecudum vernali luce ſub umbra
Arboreas pariter lætas celebrare Camenas.
Adfuit & juvenis Dafnis, ſeniorq; Palæmon.
Omnes hi Cuculo laudes cantare parabant.
Ver quoq; florigero ſuccinctus ſtemmate venit;
Frigida venit Hiems rigidis hirſuta Capillis.
His certamen erat Cuculi de carmine grande.
Ver prior adluſit ternos modulamine verſus.
VER. *Opto meus veniat Cuculus cariſſimus ales.*
Omnibus iſte ſolet fieri gratiſſimus hoſpes,
Intectis modulans rutilo bona carmina roſtro.
HIEMS. *Tum glacialis Hiems reſpondit voce ſerena,*
Nō veniat Cuculus, nigris ſed dormiat antris.
Iſte famem ſecum ſemper portare ſueſcit.
VE. *Opto meus veniat Cuculus cū germine læto,*
Frigora depellat Fœbo comes almus in ævum.
Fœbus amat Cuculum creſcenti luce ſerena.
HI. *Non veniat Cuculus, generat quia forte labores;*
Prœlia congeminat, requiem disjungit amatā,
Omnia diſturbat, pelagi terraq; laborant.

Digitized by Google

VE. *Quid tu tarda Hiems Cuculo convicia cantas;*
Qui torpore gravi tenebroſis tectus in antris
Poſt epulas Veneris, poſt ſtulti pocula Bacchi?
HI. *Sunt mihi divitiæ, ſunt & convivia læta,*
Eſt requies dulcis, calidus eſt ignis in æde.
Hæc Cuculus neſcit, ſed perfidus ille laborat.
VE. *Ore feret flores Cuculus, & mella miniſtrat,*
Ædificatq; domus; placidas & navigat undas,
Et generat ſoboles, lætos & veſtiet agros.
HI. *Hæc inimica mihi ſunt, quæ tibi læta videtur.*
Sed placet optatos gazas numerare per arcas,
Et gaudere cibis ſimul & requieſcere ſemper.
VE. *Quis tibi tarda Hiems ſemper dormire parata*
Divitias cumulat, gazas vel congregat ullas,
Si Ver vel Æſtas ante tibi nulla laborat?
HI. *Vera refers, illi quoniam mihi multa laborant:*
Sunt etiam ſervi noſtra ditione ſubacti,
Jam mihi ſervantes domino quæcumq; laborant.
VER. *Nõ illu dominus, ſed pauper inopsq; ſuperbus.*
Nec te jam poteris per te tu paſcere tantum,
Ni tibi, qui veniet, Cuculus alimonia præſtet.
PAL. *Tum reſpondit ovans ſublimi è ſede Palæmõ,*
Et Dafnis pariter, paſtorum & turba piorum:
Deſine plura Hiems, rerum tu prodigus atrox.
Et veniet Cuculus paſtorum dulcis amicus.
Collibus in noſtris erumpant germina læta,
Paſcua ſit pecori requies & dulcis in arvis,
Et dulces rami præſtent umbracula feſsis;
Uberibus plenis veniantq; ad mulctra capellæ,
Et volucres varia Phœbum ſub voce ſalutent.
Quapropter citius Cuculus nunc ecce venito
Tu jam dulcis amor, cunctis gratiſsimus ho[illegible]es.

Digitized by Google

Omnia te expectant, pelagus tellusq́; polusq́;.
Salve dulce decus Cuculus per ſæcula ſalve.

ECLOGA II.

DE MORTE CVCVLI.

Menalca. Daphnis.

ME. *Plangamus Cuculū, Dafnin dulciſſime noſtrum,*
Quem ſubito rapuit ſæva noverca ſuis.
DA. *Plangamus pariter queruloſis vocibus illum:*
Incipe tu ſenior quæſo Menalca prior.
ME. *Heu Cuculus nobis fuerat cantare ſuetus,*
Quæ te nunc rapuit hora nefanda tuis!
DA. *Heu Cuculus Cuculus qua te regione reliqui?*
Infelix nobis illa dies fuerat.
ME. *Omne genus hominum Cuculum complangat ubiq́;.*
Perditus eſt, Cuculus heu perit ecce meus.
DA. *Non pereat Cuculus, veniet ſub tēpore veris,*
Et nobis veniens carmina læta ciet.
ME. *Quis ſcit, ſi veniat: timeo, eſt ſubmerſus in undis,*
Vorticibus raptus atq́; necatus aquis.
DA. *Heu mihi ſi Cuculum Bachus demerſit in undis,*
Qui rapiet juvenes vortice peſtifero.
ME. *Si vivat, redeat nidosq́; recurrat ad almos*
Nec corvus Cuculum diſſicet ungue fero.

Digitized by Google

DA. Heu quis te Cuculus nido rapit ecce paterno.
Heu rapuit rapuit: neſcio ſi venias.
ME. Carmina ſi curas Cuculus, citus ecce venito,
Ecce venito precor, ecce venito citus.
DA. Non tardare precor Cuculus dum currere poſsis,
Te Dafnin juvenis optat habere tuus.
ME. Tempus adeſt veris, Cuculus modo rumpe ſopore,
Te cupit en ſenior atq; Menalcha pater.
DA. En tondent noſtri librorum prata juvenci:
Solus abeſt Cuculus, quis modo paſcit eum!
ME. Heu male paſcit eum Bachus reor impius ille,
Qui ſub cuncta cupit vertere corde male.
DA. Plangite nunc Cuculum, Cuculū nunc plangite cuncti.
Ille receſsit ovans, flens redit ille puto.
ME. Opto tamen flentem Cuculum habeamus ut illum,
Et nos plangemus cum Cuculo pariter.
DA. Plāge tuos caſus lacrimis, puer inclite plāge,
Et caſus plangant viſcera tota tuos.

FINIS.

BENIGNI FLORIACENSIS
ELEGIA,
De Excidio Trojæ.

PErgama flere volo fato Danaïs data ſolo,
Solo capta dolo, capta redacta ſolo.
Ex Elicone ſona quæ prima tenes Elicona,
Et metra dona promere poſſe bona.

Digitized by Google

Cum paris abſq; pari quærit, videt audet amare,
Audet temptare furta, pericla, mare.
Vadit, & accedit, clam tollit, clamq́; recedit:
Nauta ſolo cedit, fit fuga, prædo redit.
Tuta libido maris dat thura libidinis aris,
Civibus ignaris dum parat arma Paris.
Poſt raptus Elenæ currunt Lariſia Micenæ,
Mille rates plenæ fortibus abſq; ſene.
Exuperare ratus viduatorem viduatus,
Fœdere nudatus fœderat enſe latus.
Græco ductori prohibet dolor eſſe timori.
Pro conſorte thori vivere ſive mori.
Pergama draſecus figit tentoria Græcus,
Impetitur metus, & fabricatur equus.
Plena malæ prolis parit hoſtem machina molis,
Deſtruiturq́; dolis tam populoſa polis.
Hinc ardent ædes, hinc detruncat Diomedes
Per varias cædes brachia, crura, pedes.
Mulctatur cæde prædo Paris à Diomede,
Seq́; ſua tæda reddit alumna Leda.
Fœmina digna mori remeatur amore priori
Reddita victori delitiisq́; thori.
Sæva quidem vadis, non tradita cætera tradis,
Cur rea tu cladis non quoq; clade cadis?
Si fueris lota, ſi vita ſequens bona tota,
Non eris ignota, non eris abſq; nota.
Paſſa modò per idē, per idem modò Theſea pridem
Es factura fidem ne redeas in idem.
Rumor de veteri faciet ventura timeri,
Cras poterunt fieri turpia ſicut heri.
Femina victa mero quod inebriat ebria vero
Non fieri ſpero nec fidejuſſor ero.

Digitized by Google

Expleta cæde ſuperadditur Hecuba prædæ,
Tractatur fœdè, cogitur ire pede.
In faciem Dorum carnem laniata decorum
Subſequitur lorum per theatrale forum.
Vivit, at invita, quia vivit paupere vita,
Et planctus inita vociferatur ita:

* * *

FINIS.

BERNARDINI CILLÆNII Veronenſis

AMORES.

ſiue

Elegiarum ad Juliam Libellus.

ELEG. I.

Ad Juliam.

JVlia divarum pulcherrima, Julia noſtræ
Tempeſtatis honos, per quam non unus & alter
Treſvé proci, ſed tota cohors, omniſq; juventus
Vritur, & magnos ſub pectore nutrit amores.
En ego ferventi trajectus corda ſagitta
Huc venio, ſupplexque tuum dea limen adoro.
Sic me juſsit amor: noſtri miſerere furoris
Diva potens, miſerere tui precor alma Poëtæ.
Per te ego Cirreos colles, ſacrumq́; ſubibo
Muſarum nemus, & Phœbi penetralia tangam.

Per me fata Deûm vinces, atq; omnibus ævis
Inclita carminibus ſemper celebrabere noſtris.

ELEG. II.

De ortu Juliæ.

Quæritis, unde loci mea Julia traxerit ortum;
Quosvé habeat priſcæ nobilitatis avos:
Julia Regali de ſemine dicitur orta,
Nobileq; antiqua ducit ab urbe genus,
Flavus arenoſis qua currit Ariminus undis,
Adriacasq; ſuo flumine turbat aquas.

ELEG. III.

Ad Juliam.

Vultu Julia pulchrior dearum,
Stellis dignior, altior tonante,
Et cœlo renitentior ſereno,
Pomis gratior, & roſa rubenti,
Et nardo redólentior crocoq;,
Plumis mollior, albior liguſtro,
Phœbi lumine clarior nitentis,
Molli Julia ſuavior Falerno,
Albis Iulia purior columbis,
Fulvo Julia clarior metallo,
Eois precioſior lapillis,
Et, ni deſpicias meos amores,
Mundo Julia major univerſo.

ELEG. IV.

Ad ſuperos.

Cuſtodite meam Numina Juliam.
Longis hæc vigeat temporibus precor,

Digitized by Google

Et felix Pilios dinumeret dies;
Nec morbos tenero pectore ſentiat,
Nec ſævis jaceat languida febribus.
At cum mors rabidis horrrida faucibus
Nigras in dominam contulerit manus,
Condantur Pario corpora marmore,
Cœleſti ſolio ſpiritus emicet.

ELEG. V.

De ingenti in Juliam amore.

Juliæ magno periens amore
Vror, & cæco ſtimulatus igne
Noctibus totis ſimul & diebus
Ardeo, nec me
Sol cadens dulci reficit quiete,
Nec latet terra quoties ſub alta,
Sedibus nec cum veniens Eois
Lumina pandit.
Non cibo noſtri fugiunt dolores,
Non impotenti fugiunt Lyæo,
Nulla res tantos miſero furores
Corde repellit.
Quid juvat duros pariter labores?
Quidve ſemotas petiiſſe terras?
Impiger telis puer univerſum
Pervolat orbem.
Non venenatis fugit ardor herbis.
Parcite ô verbis magicoq; cantu:
Cœlitus miſſi veniunt amores;
Cedite fatis.

Digitized by Google

ELEG. VI.

De forma Juliæ.

Amore captus Juliæ miſer ſemper
Huc erro & illuc ſpecto per vias urbis,
Et per feneſtras januasq́ue vicosq́ue,
Fors ſi qua pulchros Juliæ meæ vultus
Puella referat, cujus ore conſoler
Diros furores, nulla ſed tamen noſtræ
Similis videtur Juliæ, ſimul cunctos
Hæc vincit homines, vincit & Deas omnis
Decore, vultu, candidaq́ue cervice.

ELEG. VII.

Ad Lectorem.

Si quis dolorem & omne pœnarum genus
Vult perpeti miſer, & mori vivens, amet.

ELEG. VIII.

Ad Juliam.

Lætare cordis dimidium mei,
Lætare: velox namq́ue fugit ætas:
En curva jam repet ſenectus
Inſtabili tremebunda greſſu.
Expelle curas cantibus & ſono,
Innecte ſerto tempora mirtheo,
Neu ſperne fumoſum Falernum,
Neu tacitis Venerem tenebris,
Dum fata, dum ſinit Atropos,
Neu perde vitæ lætitiam brevem,
Felix malignos qui dolores
Pectoribus didicit fugare.

Google

ELEG. IX.

Ad Juliam.

Dum manet incolumis, dum florida, dum viget juventus,
Caretq; rugis dum cutis ſerena,
Vtere diva choris & cantibus, & chely ſonora,
Lætosq; ſpernas neu fugax amores.
Semper adeſt, ſemper mors imminet, omnibusq;
Gaudete nunc, cras forte non licebit. (dicit;

ELEG. X.

Ad Juliam.

Vultu Julia ſplendido
Cujus ſunt geminæ luminibus faces,
Cui flavæ renitent comæ,
Pandit purpureas cui facies roſas
Prima candidior nive.
Te malim, Siculi quam maris inſulas,
Quam totos Libyæ greges,
Quam quæ Dardanus dicitur Attalus
Donaviſſe Quiritibus:
Quàm ſuccos & opes divitis Indiæ,
Et cultum Alcinoi nemus.
Si quis forte mihi diceret, elige
Quicquid concupis, & dabo;
Spernens, ô mea lux, cætera, te modo &
Vultus eligerem tuos.
Magni ſceptra Jovis te ſine diſplicent.

ELEG. XI.

Ad Juliam.

Julia vi[illegible] nimium laudanda pudore,
[illegible]no cui fulget in ore

Digitized by Google

Majeſtas gratusq; decòr, teneriq; rubores
Et pharetratæ forma Dianæ.
Sola potes noſtros ô virgo levare dolores,
Sola meas extinguere flammas.
Vna quam cuperem tecum requieſcere nocte,
Atq; avidis te cingere palmis!
Dum tamen illa foret toto nox longior anno,
Aut nunquam lux alma rediret.
Quam brevis illa fuit noſtroq; aliena rogatu,
Qua paſſa eſt Alcumena Tonantem,

ELEG. XII.

De cantu Juliæ.

Orpheus ad citharā dicitur & Threiciam Chelym
Silvas, ſaxaq;, necnon fluvios & rigidas feras
Traxiſſe, & tetricas Eumenides Regnaq; triſtia
Movit carminibus, cum pius ad Tartareum Jovē
Ivit, ſydereis Euridicen ut traderet polis:
Sic & noſtra canit Julia, cū dulciſonā ad lyram,
Ad cantum fluvios, atq; feras, & ſcopulos trahit.

ELEG. XIII.

De amore in Juliam.

Non Tonantis aurea
Conjunx, ſeveræ forma non Dianæ,
Non Minerva, non Venus,
Non quicquid eſt toto decoris orbe,
A meo movere me
Amore poſſit, & meo furore
Fata Juliam mihi
Semel dedere. quis meos amores
Solvet? aut meas faces?
Fatis repugnat nemo, fata regnant.

Digitized by Google

ELEG. XIV.

Ad Juliam.

Aſpicis ut culti niteant, mea Julia, colles
Vtq; renidet ager;
Sidonius teneros ſuadet jam taurus amores,
Et nova vernat humus.
Sume lyram, & paribus non incomitata puellis
Ad mea rura veni.
Hîc cava littoreâ cingemus tempora mirtho,
Subtilibusq; roſis.
Ducemusq; alacres per florida prata choreas,
Tu dea voce canes.
Feſſa dehinc viridi ponemus corpora terrâ
Gramineisq; toris.
Carpemus varios tenero de ceſpite flores,
Pomaq; ab arboribus.
Non ferus hæc Boreas perflat, nō turbidus Auſter
Rura, nec Eurus atrox:
Hæc tantum Zephyrus, molliq; Favonius aurâ
Aurea nemus colit.
Abſunt terribiles linguis radiantibus hydri,
Stellio dirus abeſt.
Hîc violæ molles, hîc candida lilia creſcunt,
Purpureiq; croci
Hîc iacynthus adeſt, hîc ſomniferumq; papaver,
Hîc amaranthus adeſt.
Omnia collucent, florent Bacchusq; Ceresq;,
Ridet amœnus ager.
Condita ſilveſtri cantat philomena rubeto,
Flet ſua mater Ithym.
Ergo veni mea lux, & me mihi charior ipſo
Dimidiumq; mei:

Digitized by Google

Explicita tetros pellamus fronte dolores,
Dum ſinit ipſe Deus,
Dum nitido viridis collucet in ore juventus,
Dumq́; ſenectus abeſt.
Vita fugit, properatq́; gradu feſtina citato
Lapſaq́; non remeat.
Ille ſapit, quiſquis fugientia gaudia carpit,
Triſtitiamq́; fugat.

ELEG. XV.

Ad Juliam.

Quotiens nitentes Juliæ meæ genas,
Frontemq́; cerno lucidam,
Ingens ſub imis oſſibus creſcit calor,
Et flamma pectus macerat:
Vix continere ſe poteſt demens amor
Et impetus Cupidinis,
Injiciat ambas quin ſtatim collo manus,
Et rapta carpat oſcula.
Verum moratur me verecundus pudor,
Tantumq́; diſſuadet nefas.
Pudore victus ſævit infrendens amor
Magisq́; fervet ac magis
Ardet, furitq́; ſævus in præcordiis
Vritq́; venas & jecur.
Sic impotentis ſentio flammas Dei,
Miſerq́; ſemper ardeo.
Talis Sicano conditus flagrat ſpecu
Typhœus ejectans faces.
Dimitte ſocias, Julia, & matrem piam,
Cum me propinquantem vides:

Digitized by Google

Petamus unà conſcium noſtris thorum
Jocis, & excelſos lares.
Hîc flamma toto concidet de pectore,
Nec ſævus ardebit furor.
Nullus tenebit tunc meas pudor manus:
Latere nam cupit Venus.

ELEG. XVI.

Ad Juliam.

Quid cumulatis opes? quid pondera vana metalli
Fulvi? quid argentum nitens, purpureasq; togas?
Quid juvat innumeris Ægyptia rura juvencis
Arare, quæ Nilus ſuis irrigat arva vadis?
Num vos divitiis plures vivetis in annos?
Ætas ve erit felicior, majus & ingenium?
An potius miſeros noctesq; diesq; labores
Neceſſe vos erit pati, perpetuumq; malum?
Divitias etenim curæ comitantur amorq;
Et inquieta pectora, ſollicitiq; metus.
Ergo quis poterit felicem ducere vitam
Tantis trucidatus malis? quisve beatus erit?
Num miſer eſt potius (volumus ſi vera fateri)
Immenſa quiſquis poſſidet ſollicitudinibus?
At nos argentum, mea lux, ſpernamus & aurum
Amore tenti mutuo dulcibus & laqueis.
Perpetuis dites curis pallere ſinamus
Ipſum inter aurum pauperes inq; opibus miſeros.
Nos Venus efficiet nimium nimiumq; beatos,
Dum ſæva deſint jurgia, Mars quoq; & ira ſimul.

ELEG. XVII.

De forma Juliæ.

Quicunq; flavum Juliæ meæ caput,
Albaq; colla videt, ventoq; diffuſas comas,
Seſe dearum credit ora cernere
Pallados aut Veneris magnive matronæ Jovis,
Aut quæ ſagittis conficit truces feras
Rura per Arcadiæ, celſiq; ſub Cynthi jugis.
Stupet juventus, frigidi ſtupent ſenes,
Attonitiq; manent nitore tanto perciti.
Talis ſtupentes vertit & Gorgon viros
Vipereis rigidum caput recompta crinibus,
Talis vermes vertit in vultus ducis
Dulychiiq; comites pollentibus Circe ſonis.
Amore quiſquis vult repentino capi,
Vel ſemel aſpiciat noſtræ nitorem Juliæ.

ELEG. XVIII.

Ad Juliam.

Quid fles, ô mea lux? quid madidis genas
Perturbas lachrymis, albaq; percutis
Sævis pectora palmis,
Et flavum lanias caput?
Felix Elyſium jam nemus aſpicit
Frater, Parca truci quem rapuit manu,
Et poſſeſſa beatis
Vmbris rura perambulat.
Hîc ſunt virginei cum citharis chori:
Hîc eſt arcitenens cum pharetra puer;
Paſſim lilia, paſſim

Digitized by Google

Rubris cum violis roſæ.
Hæc nos rura manent, hoc nemus incolet
Quiſquis purpureis fervet amoribus,
Quiſquis pectore molli
Incluſas aluit faces.
Ergo jam querulis parce doloribus,
Neu mœſtus violes funera fletibus
Vivum Julia fulgur
Dolores ſi ſapias magis.

ELEG. XIX.

De electione.

Si, quicquid cupiam, tradi mihi fata juberent,
Tantum rogarem Cœlites,
Semper ut hæreret mihi Julia
Noſtro propinqua lumini.
Atq; ambo pariter vita frueremur, & unà
Liceret ambobus mori.
Alter opes rogitet, magnos petat alter honores,
Rubriq; gemmas littoris.
Hoc ſine dives ero, mundi mihi totius inſtar
Os eſt nitentis Juliæ.
Magna tenet, quem parva juvant: ditiſſimus ille eſt,
Qui novit oblatis frui.

ELEG. XX.

De forma Juliæ.

Si quis montivagæ pectora Deliæ,
Junonis faciem ſi quis, & aureæ
Fulgorem Veneris, Palladium decus
Si quis cernere concupit:

Google

Noſtræ conſpiciat lumina Juliæ.
Hæc forma nitidum vincit Apollinem
Bacchumq́; haud aliam fata queant parem
Noſtræ gignere Juliæ.

E L E G. X X I.

Julia noſter ardor
Hæc dies feſta eſt, rapidi principium furoris:
Qua Cytherea fecit,
Quaq́; trajecit celeri molle jecur ſagitta,
Et mea flamma cœpit.
I puer cum thure roſas purpureas Sabæo
Et breve lilium fer.
Mirtheæ flavis niteant temporibus coronæ,
Neu bona vina deſint.
Diva placanda eſt Venus, ut perpetuo ſub igne
Noſtra perennet ætas:
Vt ſemel fuſi geminis pectoribus calores
Tempus in omne vivant,
Nosq́; toto mutuus aſtringat amor ſub ævo.

E L E G. X X I I.

Ad Juliam.

Julia cunctarum nobis chariſſima rerum,
Quas pontus, & quas terra, quas aër tenet.
Ne viola lachrymis faciem, neu ſcinde capillos,
Quod fata in alias ire me terras jubent.
Vive alacris: neq; enim penitus te diva relinquã,
Nec totus his Octavius cedet locis.
Dimidium noſtri tecum remanere neceſſe eſt,
Tecumq́; partem pectoris linquam mei.

Vnà erimus, quamvis peregrina in mœnia tendã,
Ne mors quidem ipſa ſeparare nos queat.
Sum tuus, & geminos mens una ligavit amantes:
Ero tuus vivens, eroq; poſt mortem tuus.

FINIS.

ANTONII CODRI URCEI BONONIENSIS

RITHMUS Die S. Martini pronunciatus.

IO jo jo jo,
Gaudeamus jo jo,
Dulces Homeriaci
Jo jo.
Noſter vates hic Homerus,
Dithyrambi dux ſincerus,
Pergræcatur hodie:
Jo jo.
Hæc eſt illa bona dies,
Et vocata læta quies,
Vina ſitientibus
Jo jo.
Nullus metus, nec labores,
Nulla cura, nec dolores
Sint in hoc ſympoſio
Jo jo.
Vultis mecum jam potare,
Et Lyæum exaltare
Dulces Homerici?
Jo jo.

Qui

Qui potare cupit mecum,
Licet merum portet ſecum,
Vina plenis utribus
Jo jo.
Ecce tibi Trebulani
Apportamus & Albani
Centum plenos urceos
Jo jo.
Sed quis nobis miniſtrabit,
Et quis præſto vinum dabit
Dulce ſitientibus
Jo jo
Hîc habemus Thomaſinum
Cognoſcentem bonum vinum
Primo viſu ſubitò
Jo jo.
Hic ridendo propinabit,
Et bibendo provocabit
Omnes Homeriacos
Jo jo.
Audi bone Thomaſine
Græcè bibens & Latinè,
Tuum hoc officium
Jo jo.
Eſt jam tempus ut potemus,
Et poſt potum ſic oremus,
Deflectamus genua
Jo jo.
Si potatis, jam levate,
Et crateras coronate
Vt bibatîs iterum
Jo jo.

Digitized by Google

Felix eſt ter, felix quater
Cui dat Bacchus totum pater
Deſpumanti Cantharo
Jo jo.
Ne lucernæ extinguantur,
Et potantes moriantur,
Date nobis oleum
Jo jo.
Vos Germani, vos Hiſpani,
Vos Inſubres, vos Britani,
Bibite pro viribus
Jo jo.
Sed vos rogo, dum potatis
Ter & quater videatis
Ne frangatur vitreum
Jo jo.
Omnes fortes ſunt vinoſi,
Et potantes animoſi,
Dicit Ariſtoteles
Jo jo.
Omnis Doctor, omnis Rector,
Bacchi patris ſit protector
In æterna ſecula
Jo jo.
Dulce dulci miſceatur
Ex hoc in hoc faciatur
Vt potetis dulcius
Jo jo.
Bacche vatum fortis pater,
Et qui ſolus es bimater,
Et formoſus diceris
Jo jo.

Digitized by Google

Qui Delphinos amatores
Puerorum & potores
Feros miſces lyncibus
Jo jo.
Tecum civem Lampſacenum
Rogo ducas & Silenum
Bacchasq́; thyrſigeras
Jo jo.
Et te prope ſit Potina,
Quæ dat potum in culina,
Pruna cunctis pueris
Jo jo.
Tentat Bacchus Ithyphallus,
Malus caper, malus gallus,
Aha nimis turpiter
Jo jo.
Bibe quantum vis Priape,
Sed honeſtam partem cape,
Ne perturbes gaudia
Jo jo.

F I N I S.

BAPTISTÆ MANTUANI CARMELITÆ

ELEGIA,

Contra Poëtas impudicè loquentes.

SVnt, quibus eloquii datur aurea vena, Poëtæ,
Sed cadit in ſortes, inficiturq́; luto.

Digitized by Google

Nam Cypriæ curas, & olentia gaudia ponunt:
Claraq; tam fœdo mergitur unda lacu.
Hoc decus, hoc animis carmen cœleſtibus aptum,
Rebus in immundis degenerare nefas.
Dona Dei carmen nitidum, facundia præſtans,
Mittitur ex aſtris à ſuperisq; datur.
Eſt tuba Romanæ *fidei legumq;* Poëſis,
Quæ canat heroo ſacra Deumq; *pede.*
Carmina, quæ ſanctos Deus *ipſe paravit ad uſus,*
Impia mortiferi criminis arma facis.
Quid maculas turpi divina libidine dona?
Quid teris immundo munera tanta pede?
Non ita Hieremias *docuit, nō* Thracius Orpheus,
Non ita Jeſſei Regia *Muſa ſenis.*
Sancta prophanari ſcelus eſt delebile multo
Verbere; ſupplicio culpa pianda gravi.
Vita decet ſacros & pagina caſta Poëtas.
Caſtus enim Vatum ſpiritus atq; ſacer.
Si proba vita tibi, laſcivaq; pagina; multos
Efficis inceſtos, in Veneremq; trahis.
Verba movent animos; oris laſcivia pectus
Pulſat: & in venas ſemina mortis agit.
Improbus has ſordes in carmina ſeminat Orcus,
Cui ſtudium mentes commaculare pias.
Non ſecus ac vitreum ſi quis vult lædere fontem,
Projicit in dulces putre cadaver aquas.
Hoc animadvertas, quicumq; poëmata condis,
Eſt opus: à Stygio fer procul amne pedem.
Pelle pharetrati cum matre Cupidinis arcum,
Atq; Dioneo ſubtrahe colla jugo.
Mater adulterii Venus eſt, ſtupriq; repertrix,
Atq; lupanari fornicibusq; favet.

Caſta Dei genitrix, caſtus Regnator Olympi:
Mens capit ambroſias non niſi caſta dapes.
Lex Venerem feſtis vetat exercere diebus:
Sacra miniſtrorum corpora caſta volunt.
Pierides caſtæ, caſtæ Libethrides undæ;
Tota pudicitiam vera Poëſis amat.
Eſt Helicon virgo, virgo Peneja Daphne,
Caſtalidas ajunt virgine matre ſatas.
Ite procul, Veneris Vates, Heliconis ab amne;
Virgineus veſtro læditur ore liquor.
Non hederæ vobis, Phœbi non convenit arbor;
Non amat inceſtas caſta corona comas.
Taxus olens, eruca ſalax, gravis herba cicutæ,
Sordidulos Vates talia ſerta decent.
Salmacis eſt vobis Helicon; date vota Priapo,
Helleſpontiacis ponite thura focis.
Sit liquor Aſphalti vobis pro Phocidis unda,
Stringit ubi infames ſulfuris ardor aquas.
Deſine: pone lyram Vates inſane, nec ultra
Cum Stygiis Dirces flumina junge vadis.
Proſtituis Muſas, meretricis imagine facta,
Ante cavernoſi fornicis antra locas.
Frangis honeſtatem frontis, gremiumq; ſinumq;
Solvis, & infames mittis in ora modos.
Omnia das turpi Muſis loca ſacra Dionæ,
Atq; pudicitiæ non ſinis eſſe locum.
Propterea meritò pro Vate vocabere leno,
Elogio ſceleri conveniente tuo.
Si legeret caſu ſpurcum Lucretia carmen,
Contereret preſſo carmina lecta pede.
Quod prohibet fieri, quod vult natura taceri,
Promis & urbanum mellifluumq; putas.

Digitized by Google

Falleris haud aliter, quã qui pro piſcibus hydros,
Pro violis tribulos aut aconita legit.
Id canis, à ſola quod ſit meretrice videndum,
Quod niſi laſcivo non queat ore legi,
I procul à gravium cœtu ſcelerate virorum:
Fer procul à ſacra relligione gradum.
Hæc levitas gravibus ſit pernicioſa Poetis.
Namq; leves ſtudio credimur eſſe pari.
Non bene de fidei rebus ſentire putamur;
Innocui culpæ lædimur enſe tua.
Hi veriti non ſunt ſanctas per ſcorta ſorores
Ducere, & ad tantum ſollicitare nefas.
Vina Mimallon iæ vobis dant Cretica Bacchæ,
Et vetat infundi ſordida Thyas aquam.
Tale docet Semeles puer & Lemargia Carmen,
Bacchidas & Veneres iſta Poeſis olet.
Caſtalium veri potant, non vina, Poëtæ:
Sobrietas fons eſt, ebrietasq; merum.
Qui bibit aßiduè gelidis de fontibus undam,
Et vitreo ſiccam diluit amne ſitim,
Carmina caſta facit, Veneris commercia vetat,
Nec movet ad verſus ora pudica leves.
Vina jocosq; canunt Veneris, Bacchiq; Poëtæ:
Quod latet in vapido pectore carmen olet.
Hi ſunt quos ſtatuens ſancti conſortia cœtus
Eſſe procul juſta jußit ab urbe Plato.
Fautores ſcelerum, corruptoresq; juventæ,
In mala deceptum plurima vulgus agunt.
Dumq; licere volunt ſuaſit quæcumq; voluptas,
In mores acuunt ſpicula multa pios,
Improba garrulitas, verbisq; procacibus ardens
Seminat in ſanctam noxia verba fidem.

I miſer & veniam ſuperos pro crimine poſce
Ante flagellati vulnera quinq; DEI
Voce, genu flexo, lachrymis & pectore tunſo,
Fletibus erroris damna repende tui.
Carmine qui celebrat veſana Cupidinis arma,
Et Veneri nervos ingeniumq; dicat.
Hic jacit in ſaniem violas, in ſtercus amomum,
Atq; ſub obſcenes lilia verna ſues.
Sulphuream Lethes haurit de fontibus undam,
Et Stygiam lato gutture potat aquam.
Se facit indignum, ſuperos qui cernat & aſtra:
Nam miſer in ſolam lumina vertit humum.
Transfugit à ſuperis ad limina Ditis, & ardet
Gaudia contempto luxurioſa Deo.
Eſt opus ardentem frenis arcere juventam,
Nec ſinere in mores luxuriare malos.
Colligе terrenis mixtum de ſordibus aurum,
Gemmaq; in illuſtri ſplendeat iſta loco.
Eſt Deus eſt trinum ſemper laudabile Numen,
Vnde trahunt rerum ſemina prima genus.
Spirituum ſoboles, cœliq; decemplicis aſtra,
Aſtrorumq; vices multiplicesq; viæ.
Sunt animæ Divûm, nitido quos æthere virtus
Donat, & hos ſanctos indigetesq; vocant.
Sunt quæ materiam præbent elementa caducis
Rebus; & æternæ dant elementa neci.
Sunt Erebi manes, ſunt Tartara nigra, lucusq;
Sulphurei, & nigri regna profunda Jovis.
Sunt loca pœnarum, ſunt altæ ergaſtula mortis,
Sub quibus æterno Lucifer igne calet.
Sunt ſcelerum pœnæ, tormentaq; debita noſtris
Sordibus, & Veneri carminibusq; tuis.

Sunt ea quæ profert aër, quæ parturit æquor,
Quæ generat pingui dædala terra ſinu.
Multicolor facies agri, ſylvæq; comantes,
Multiſonæ volucres, multivagæq; feræ.
Sunt Sophiæ partes, eſt ingenioſa Matheſis,
Verbaq; clamoſi litigioſa fori.
Sunt hominum vitæ, ſunt digna negotia verſu,
Plurima geſta foris, plurima geſta domi.
Collige Divorum mortes & fortia facta:
Inclyta martyri bella rubentis habes.
Jugera multiferæ tibi ſunt telluris & horti,
Navigium, merces, velivolumq; mare.
Sunt tibi pamphineo veſtiti palmite colles,
Sunt juga, ſunt valles, multicomumq; nemus.
Arva, lacus, urbes, caſtella, ſuburbia, villæ,
Sunt cava, ſunt tenui flumina preſſa vado.
Elige de multis aliquid: tibi copia rerum
Maxima, materiam carminis iſta ferent.
Nata freto Venus eſt, Venereq; ſub æquora mitte
Infima, qua nigris pallet abyſſus aquis.
Id cane quod tetrici poſſint audire Catones,
Quod probet Hippolyti Penelopesq; pudor.
Tunc ego te Vatis dignum cognomine dicam,
Tunc tua cantari digna Poëſis erit.
Tunc Helicona bibes, caſtisq; rigabere lymphis,
Si Venus in verſu non erit ulla tuo.

FINIS.

Digitized by Google

STADTBIBLIOTHEK • ZÜRICH

Digitized by Google